BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 1,466

Lv.C.32.

register

RESPONSIO

AD VANAM REFVTATIONEM DISSOLUTIONIS NODI GORDII A MARTINO SMIGLECIO NEXI.

Facta

Per IOANNEM VOLKELIUM.

Ex libris Jacobi Sieniensky Palatini Podol: in Rakow haered

RACOVIAE,
Anno 1618.

18.081

INSTYTUT OSSOLIŃSKICH

EDitus fuit, ante aliquot annos, libellus a Martino Smiglecio, Theologiæ, ut ipse sese nominat, Doctore, quem Nodum Gordium, seu quæstionem de ministrorum vocatione inscripserat, eo consilio animoq3, ut ministros Evangelicos, legitimos verosq3 ministros minimè esse demonstraret: quia nimirum nec missi sint, nec ritè ordinati, nec peccata remittendi eucharistiam sacramentumq3 corporis ac sanguinis Christi conficiendi potestatem habeant, nec ecclesiæ Catholicæ inserviant, nec verum Dei verbum administrent, nec Deo sacrificium offerant, nec fructum Evangelio dignum ferant, nec deniq3 ulla signa miraculaq3 Deo cooperante faciant. Ad quæ omnia nos vicissim scripto publicato, ita respondisse nobis videmur, ut nullum Smiglecio, sui tuendi locum reliquerimus. Id quod ex ipsius refutatione, quam nostro libello opposuit, valde perspicuum est: quippe, in qua partim, plurimas nostras responsiones, per summam astutiam, reticet atq3 dissimulat: Partim quæ antea dixerat, quantumvis a nobis convulsa atq3 prostrata, per summam impudentiam, nostris non repulsis, subinde repetit atque inculcat: Partim ut sibi aditum ad nos caluminandos, aperiat, tùm nostra dicta, tùm etiam sanctam scripturam, adulterare non dubitat: Partim deniq3 ne prorsus tacere videatur, convicis respondendi officium, eaq3 proferendo, explere nititur, quæ & frivola & absurda & planè ridicula sunt, ad resq3 de quibus agitur, nihil pertinent, ut facilè appareat, eum ita se gerendo, planè ostendere, utrumque ipsius scriptum, non Gordium Nodum, sed, ut dixeramus, scopas dissolutas esse: & sic ad eundem Nodum, si diis placet, dissolvendum (quippe

iam per se dissipatum) non solùm Alexandri gladium minimè requiri: Sed ne digitis quidem dentibusq; opus esse. Quod ut planè ita se habere, benignissime lector, comperias, etiam atque etiam a te peto, ut tùm priorem tùm hanc posteriorem responsionem nostram studiosè legas, omniaq; de quibus inter nos disputatur, justissimis ponderibus examines. Hoc enim si feceris, planè persuasum habeo, te facilè intellecturum, non quidem nostram nodi Smigleciani dissolutionem: Sed ipsius refutationem vanissimam esse. Quod reliquum est, Deum oro, ut quemadmodum huic labori meo clementer adfuit, ita eum ad gloriæ suæ amplificationem convertat, progq; sua in genus humanum incredibili charitate efficiat, ut tandem cælestis ipsius veritas, ex Antichristianis tenebris, quibus hactenus occultata demersaq; jacuit, emergat, in omniumq; oculos incurrat, ex eoq; fiat, ut homines nullis erroribus impediti salutarem Christi disciplinam planè & agnoscant & amplectantur, & denique ex ipsius præscriptione vitam moresq; componentes, fidei suæ finem, sempiternam nimirum felicitatem assequantur. Amen.

RESPONSIO AD VANAM REFUTATIONEM Dissolutionis NODI GORDII a MARTINO Smiglecio nexi.

Caput I. Quod inscripsit: *Ministros vocari a Deo & ad sua munera consecrari sacræ literæ docent.*

CUM primùm Smiglecii libellum, quo sese nodi ab ipso nexi dissolutionem refutâsse credidit, in manus sumerem, ex ipso statim exordio intelligere mihi videbar, quid de tota scriptione sentiendum esset, nimirum id ipsum, quod ex Hieremiæ 9. cap: tanquam in nos dictum adduxerat: *Docuerunt*, inquit vates, *linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laborârunt*. Nec me fefellit opinio, cùm postea totum librum evolvens, duo hæc flagitia a Propheta acerbissimè notata, mendacium nimirum & iniquitatem passim committi cognoverim. Quod quidem ita se habere quilibet tum priorem, tum hanc responsionem nostram studiosè legens facilè intelliget. Primò enim videbit & quasi oculis cernet, Smiglecium & passim sibi ipsi contradicere, & divinas literas, multis in locis depravare, non solùm falsissimos sensus: sed verba etiam aliena illis affingendo. Deinde animadvertet, eum per summam iniquitatem, convitiis calumniisque nos onerare intollerandis, ut facilè doctorem Iesuiticum agnoscere possis. Hoc quippe genus hominum in sophismatis callidè excogitatis, in falsissimis criminationibus, in maledictis calumniisque summam victoriæ laudem sitam esse autumat.

Quod quidem quo magis appareat, omnia quoad ejus fieri poterit Smiglecii dicta, ordine ab ipso servato, ponderabimus, si modò chaos istud seu rerum argumentorumque confusio, & odiosa ταυτολογία, quâ perpetuò utitur, ordinis nomine appellanda est. Primò igitur in ipso scripti sui initio turpissima sese contradictione implicat, & ideo ex suomet ore falsitatis convincitur. Sub finem enim sui nodi dixit, sibi jam eum edenti in manus incidisse anonymi libellum, in quo demonstrare nitatur: Ministris Evangelicis ministerii controversiam, jure moveri non posse. Quem libellum Smiglecius jam tum refutare conatus est, & nos ut eum frustra laborâsse ostenderemus, in responsione

proximè superiore anno, a nobis edita, omnium primo anonymi atque adeo nostram sententiam defendimus. Ex quo intelligitur, nos ipso Smiglecio teste, multò ante in ea sententia fuisse, quàm nodum suum connecteret. Qua fronte igitur hîc asserit, nos tunc demum nodi istius, seu de vocatione ministrorum quæstionis dissolvendæ, eam, quam hoc loco nobis affingit, rationem inveniſſe, cùm eam Evangelicis proposuisset? Item quomodo veritati non repugnat, quod postmodum dicit, nos argumentorum vi & efficacitate in eos æstus & angustias compactos esse, ut omni lucis ratione erepta, absurda quæque concedere, verissima autem negare non turpe nobis esse dicamus?

De iis autem argumentis Smiglecium loqui, quæ ipsius nodo contineantur, ex sequentibus illius verbis perspicitur: *Ita certè*, inquit, *cùm Ariani non alia ratione nodum expedire potuerint*, &c. Certè qui ad eum modum gloriari hominibusque imponere cogitat, eum benè memorem esse oportet. Argumentis porro Smiglecianis, nequaquam tantam vim, efficacitatemque insuisse, ut nos in angustiam compulerint, ex eo apparet, quòd Dei beneficio ita a nobis prostrata sunt, ut Smiglecius nihil solidi ad responsiones nostras infringendas afferre potuerit. Id quod quilibet vir intelligens, etiam nobis tacentibus, facilè agnoscet, modo Smiglecii refutationem, cum iis quæ a nobis dicta fuêre seclusa omni præjudicata opinione comparet: Multò autem magis, planè ita esse intelliget, si quæ nunc ad singula suis locis respondebimus, justis ponderibus examinaverit. Comperiet enim sine dubio, nequaquam opus fuisse, ut Smiglecii verbis utar, dentes digitosque fatigare, cùm scopæ dissolutæ tanto labore non indigeant. Dicit præterea Smiglecius, nos ita nodum ipsius solvere, ut omnem vocationis ac missionis necessitatem e medio tollamus, quod similiter, pace ipsius dixerim, a vero alienissimum est. Aut enim propriam, aut impropriam missionem Smiglecius intelligit. Ac propriam quidem eam esse constat, qua homines certi a suo Domino, nimirum Deo aut Christo, ad rem novam anteaque inauditam orbi terrarum annunciandam divinitùs singularique modo emittuntur. Impropria verò est, cùm homines pii ad docendumque appositi ab Ecclesia constituuntur, ut veritatem salutarem a Christo Apostolisque traditam, subinde apud populum Christianum proponant, repetant, ad eidemque obtemperandum omnes cohortentur. Si de propria missione loquitur Smiglecius, fatemur cum Paulo, eam in Ecclesiæ primordio adeò necessariam fuisse, ut absque ea Apostoli, quorum propria erat, prædicare non potuissent.

Quin

Quin imò & hac tempestate, si quis se rem novam eamque divinam ac salutarem generi humano patefacere asserat, eum omnino necesse habere statuimus, missionem suam, quæ ipsi divinitùs contigerit, ostendere.

Si verò de impropria sermonem habet Smiglecius, intelligendum est, nos nequaquam omnem ipsius necessitatem tollere: Sed tantùm absolutam. Eam verò quæ necessitas ex consequente, vel secundùm quid appellatur, nos minimè negare, tum ex toto scripto nostro, tum maximè ex iis quæ pag: 33. diximus apparet, præsertim ex illis verbis: *Interim tamen non negamus, & olim id factum esse, & etiam nunc fieri debere: non quòd omnino sit necessarium: sed quia ecclesiis in certis locis degentibus certos ministros habere, qui illos quotidie ad pietatis studium excitent, in officioque retineant apprimè conducat.* Quo in loco animadvertendum est, ex his verbis nostris, *non omninò necessarium* patere nos non nisi de absoluta necessitate sermonem habere. idem planè & pag: 61. Iuculentissimè a nobis dicitur. Videat igitur Smiglecius, quàm verè dixerit, nos omnem missionis ac vocationis necessitatem tollere.

Pergit autem Smiglecius asseritque, id, quod de ministrorum missione dicimus, *tùm ipsi rationi, tùm divinis testimoniis repugnare: Rationi, quòd e tot hæreticorum myriadibus, qui omne studium ad id unum contulisse videantur, ne quicquam quod in religione absurdè dici posset, tacitum ipsi relinquerent: nihilominus tamen nullus tàm effrons, tàm mentis omnino inops inventus sit, qui in illis Ægyptiacis errorum tenebris non viderit, atq; adeo manibus ipsis non palpaverit, crassissimum errorem esse, vocationis & missionis necessitatem expungere & abrogare.* Quæ quidem Smiglecii raciotinatio primò turpissimam cõtinet principii petitionem. Probandum enim erat, omnes illos, quos Smiglecius hæreticos nominat, hoc, quod nos dicimus, crassissimo errore implicatum esse, & vidisse, & manibus palpâsse. Quod quidem quomodo facturus sit non video, cum illi ne putare quidem, nedum oculorum manuumque sensibus percipere potuerint, nos ea in re errare.

Si enim, ut vult Smiglecius, hæc nostra sententia ad solvendum demum nodum gordium inventa a nobis est, sequitur, eam ante nodum gordium non extitisse. Quod si ita est, quomodo quæso hæretici illi, eam erroneam esse videre manibusq; palpare potuerunt, quandoquidem non entium nullæ sunt qualitates? ut facilè appareat, non nos sed ipsum Smiglecium, ista tàm inepta proferendo, rectæ rationis judicio repugnare, iterumque in turpissimam contradictionis implicationem

nem incidere. Si enim hæretici, qui ante nos fuerunt, sententiam nostram, gravissimum errorem esse viderunt, manibusque palpârunt, necesse est eam tunc extitisse, & sic non ad Smiglecii nodum gordium dissolvendum a Racovien sibus demum in ventam fuisse. Quòd si suorũ verborum hanc mentem sententiamq; esse asserat, ut dicere voluerit, ex tot hæreticis nullum inventum fuisse, qui tàm turpiter erraverit, ut absolutam missionis necessitatem abrogaret, ut nostri homines faciunt, discat in posterum mentis suæ cogitata melius exprimere, & interim sciat, consecutionem istam vitiosissimam esse: Nullus omnium hæreticorum tam crassum errorem commisit unquam, ut absolutam missionis necessitatem negaret. Ergo qui hodie id faciunt, pugnant cum ratione. Nulla est hîc connexio, nullum rationis vinculũ. Nam præterquam quòd probandum erat, eos qui ita sentiunt, errare, longè alia causa subesse potuit, cur qui ante nos ab antichristo defecerunt, istam veritatem non cognoverint, nempè quia Deus homines ex Antechristianis tenebris educens, pro summa sua sapientia, non omnia simul & semel illis patefaciat: Sed temporis progressu jam hoc jam illud veritatis suæ mysterium aperiat, ne subitò tantæ lucis splendore excæcati, ad rerum divinarum cognitionem prorsus inepti reddantur. Ex quo intelligitur, tantum abesse, ut cum ratione pugnet, id nos sentire, quod ante nos multi, quos Smiglecius hæreticos dicit, minimè senserunt, ut potius summæ Dei sapientiæ tribuendum sit, qui hac ratione hominum captui inservire voluerit. Porro cum Smiglecius nostram assertionem non solùm rationi: sed divinis etiam testimoniis adversari dicat, videamus sanè, quo pacto id tentet probare. Ait igitur: *Proferam aliquot ex innumeris, scripturæ loca, in quibus manifestè docetur, ministros a Deo ad munera in Ecclesia obeunda vocari, constitui, consecrari: & contraria ratione, qui tales non fuerint, eos non Dei præcones, sed falsos Prophetas: non pastores sed lupos rapaces, fures & latrones: non ministros, sed Antichristi prodromos esse, ipsiusque sancti spiritus ore perhiberi.* Hæc Smiglecius: qui multa hîc promittit: Sed nihil præstat. Quamvis enim facilè concesserimus locos ab ipso citatos testificari, ministros pastoresque, tunc cùm Paulus in vivis esset, ecclesiis constitutis præpositos fuisse: tamen illos omnes qui tales non fuerint, non Dei Præcones, sed falsos prophetas, non pastores sed lupos rapaces esse, nunquam probabit. Quin imò contrarium in scripturis haberi, & in superiore nostra responsione docuimus, & infra Dei ope implorata, luculentissimè demon-

monstrabimus. Interim tamen ista aliquot scripturæ testimonia, quæ hoc loco ad causam suam stabiliendam protulit Smiglecius, nequaquam dissimulabimus.

Quinque autem locos affert ad absolutam missionis necessitatem demonstrandam: Priores duos in nodo suo non adduxerat: reliquos verò tres etiam antea citatos, hîc denuo urgere non dubitat. Primò igitur inquit: *Celebris in primis locus est Actorum 20. v. 28. cùm Asianæ ecclesiæ ministros hortatur Paulus in hunc modum: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.* Ex hoc testimonio Smigleciustriplicem consecutionem extruit. Prima est: *Spiritus sanctus illos viros posuit ministros. Ergo non sine vocatione ministri fuerunt.* Altera est: *Episcopis Asianis obtigit vocatio. Ergo non sine necessitate.* Tertia: *Idem Deus est dives in omnes. Ergo qua Dei providentia Ecclesiæ Asianæ tum provisum fuit, ut ministros, a spiritu S. constitutos haberet, eâdem nunc omnibus Ecclesiis prospicitur.* Respondemus autem nullam istarum rationum ad rem facere: cùm nec hoc loco quæratur, an primævæ Ecclesiæ ministri absque vocatione necessitateque aliqua muneri isti præfecti fuerint: nec quia Deus dives in omnes est, idcirco consequens sit, absolutè omninoque & hodie ministrorum missionem necessariam esse. Quæritur enim, an hac ætate planè necessarium sit, ut qui divini verbi prædicationem suscipit, is ad eam rem mittatur atque vocetur. Quod cum Smiglecius affirmet, comprobareque instituerit, non id testimoniorum genus adhibendum erat, quo olim ministros constitutos fuisse: Sed cujus vi etiam hodie, idem omnino fieri debere convinceretur. Quid, quod ne tunc quidem id necessarium omnino fuit, cùm nequaquam cautum sit, ne ullus præter ordinariè missos, atque vocatos, docendi munus exequatur, ut satis & in nodi dissolutione demonstravimus, & infra suo loco planissimum faciemus. Quod porro Smiglecius dicit. *Vim quandam illis verbis* regere Ecclesiam *inesse*, similiter nihil ad propositum facit: Cùm quemadmodum pastores, doctoresque olim Ecclesiis a divino spiritu præpositos, ita iisdem Ecclesiæ regimen demandatum fuisse, ultro concedamus. Verùm quid hoc momenti habet ad illos, qui hodie certis Ecclesiis præfecti non sunt, verbi divini prædicatione prohibendos? Cùm & olim stantibus illis Ecclesiis pastorumque ministerio ornatis, complures sine ulla vocatione aut missione, partes istas susceperint, idque non solùm impune, sed Deo etiam approbante, ut infra docebimus. Quid quod & ipsi Apostoli fideles

cohortantur, & charitatis Christianæ officium a nobis generatim flagitat, ut alii alios doceamus, admoneamus, inque officio retineamus, idque ut locorum circumstantiæ indicant, nulla missionis vocationisve habita ratione. Ex quo apparet, nequaquam eam vim in verbo *regendi* inesse quam Smiglecius putat. Primò enim regere hoc loco non significat dominari, sed pastorum more gregem curare, a lupisque, quorum mox facit mentionem Apostolus, defendere. id quod multo clariùs ex illis Petri Apostoli verbis patet, quibus seniores ita gregem Domini pascere jubet, ut eidem ne dominentur.

Coloss: 3. 16. Heb: 3. 13. & 10. 25.

Actor: 20. 29.

1. Petr: 5. 2. 3.

Quæ quidem gregis dominici procuratio, tametsi illis maximè convenit, qui certis constitutisque Ecclesiis præpositi sunt: nihil tamen prohibet, quo minus isti ab illis adjuventur, qui quamvis singulari missione careant, ad pascendum tamen, id est, docendum cohortandumque sunt apti, vitæque exemplo aliis prælucere possunt, in quorum utroque ministerii summam consistere manifestum est, cùm Paulus muneris istius rationem explicans, hæc tantummodo ministerii essentiam constituere, non obscurè doceat. *Atqui*, inquit Smiglecius, *ut Civitates & Provinciæ principi alicui subjectæ regi a nemine possunt, nisi ab eodem principe facta potestate: Ita ad Dei ecclesiam regendam admitti nemo potest, nisi legitimè a Deo vocatus. Quod si nec alienam domum quis jure gubernat non vocatus, quomodo Ecclesiam Dei gubernabit?* Nos verò negamus ista similia esse: Cùm alia, quantum ad rem propositam pertinet, civilis, alia Christianæ reipub: ratio. Reipublicæ quippe civili ita certi gubernatores præficiuntur, ut & dominentur, & extra eos nemini eam gubernare liceat. Adde, quòd cives nulli alii dicto audientes esse tenentur, præter illum, qui ipsis gubernandis præpositus est. In Christiana verò Republica contra fit, cùm nec ullus hîc sit qui reliquis dominetur quamvis sæpissimè ordo decusque postulet, ut pastores Ecclesiis præficiantur, erudiendis in officioque continendis: nec Deus ita pastoratus officium ad certos homines adstrinxerit, ut præter eos nulli, si vel aptissimus eam ad rem sit, reliquos docere admonereque liceat: nec denique auditorum officium tam angustis terminis circumscriptum sit, ut unum tantùm certum pastorem audire teneantur, reliquos autem, quantumvis rectè docentes monentesque nequaquam, quia nimirum non sint publica quadam ceremonia ordinati. Petrus quippe disertissimè jubet, ut omnes alii aliis subditi simus; & Paulus monet, ut alii alios doceamus moneamusque. Addit præterea Smiglecius: *Deum Ecclesiam suam tàm charam habere, ut eam sanguine suo acquisi-*

1. Tim: 3. 2. Tit: 1. 6.

1. Petr: 5. 5. Col: 3. 16.

quiſiverit: & ideo non eſſe æquum, ut eam cuivis ad libitum gubernandam permittat. Verùm ſimiliter nequaquâ hîc illud convincitur quod quærit Smiglecius: nimirum nulli, niſi ordinato, divinum verbum prædicare integrum eſſe. Cùm enim hîc, de eiusmodi verbi divini præconibus ſermo habeatur, qui & apti ſunt ad docendum, & vitam cum pietate traducunt, perſpicuum eſt, hujus argumenti antecedens nullam vim habere ad iſtos prædicatione ſubmovẽdos, propterea quod tales nec quivis ſunt, nec ad libitum, ſed ex divina præſcriptione apud homines divinum verbum proponunt. Quinimò eam ipſam ob cauſam, quòd Deus Eccleſiam ſuam charam habeat, maximè non ſolum ordinati: ſed omnes etiam alii, modò ad hanc rem appoſiti ſint, conjunctâ operâ manuque eniti debent, ut a luporum incurſionibus libera tutaque ſit, ut quidem in religionis Chriſtianæ primordio, tum ab Apoſtolis, tum ab illis diſperſis aliiſque factum fuiſſe, ſcriptum legimus. Actor: 8. 4. 5. & 11. 19. 20.

Iam ex eo, quòd Deus dives in omnes eſt, nequaquam conſequi, miſsionem hodie abſolutè neceſſariam eſſe, ipſe Apoſtoli verborum contextus docet. Longè enim alia ratione Deum in omnes divitem eſſe dicit, quàm Smiglecius putat: nimirum quia non ſolùm Iudæis, ſed gentibus etiam credentibus aditum ad ſuam gratiam ſempiternamque felicitatem patefecerit. Conſulat præterea Smiglecius Dialecticos, & comperiet, poſito genere affirmato non protinus ſpeciem ponendam eſſe. Quid enim hac argumentatione ineptiùs eſſe poteſt? Deus eſt dives in omnes. Ergo ſemper eodem modo in omnes dives eſt: vel ita in omnes dives eſt, ut ſemper miniſtros, ſingulari ratione ad Eccleſiam paſcendam mittat, & ſic tunc etiam, quando idem fieri abſolutè neceſſarium non eſt. Adde, quòd etiam illud ipſum, de quo Paulus loquitur, nequaquam ad omnia tempora ſpectare res ipſa docet. Factum quippe eſt tum Iſraelitarum ingratitudine, tum ſingulari Dei conſilio, ut hodie quidem in gentiles dives ſit, in Iſraelitas verò minimè. Sunt enim repudiati, excæcati, a divinoque regno excluſi. Si igitur illud quod Paulus hîc maximè oratione complectitur, propter certas cauſas, omnia tempora non reſpicit, quid tandem de neceſſaria miniſtrorum miſſione exiſtimandum eſt, ad quam Smiglecius hæc Pauli verba iniquiſsimè detorquet? Verùm eſto; ſpectent hæc Apoſtoli verba, aliqua ſaltem ex parte, ad hodiernum Eccleſiæ ſtatum, num propterea Deus hodie in Eccleſiam ſuam dives minimè fuerit, quia ad eam gubernandam ſingulari quadam ratione paſtores non mittat? præſertim cùm ipſa rei natura, ut ſatis jam demonſtravimus, nequaquam poſtulet, ut hoc neceſſario fiat? Rom: 10. 12.

riò fiat, satisque dives in suos existimandus sit, quòd verbum suum olim prædicatum confirmatumque conservet, homines ejusdem apud populum prædicandi cupidos, ad idq; faciendum appositos, ea in re juvet, tantamq; illis auditorum gratiam conciliet, ut eos & libenter, & cum fructu audiant, & sic ex Pauli præscriptione omnia probent, quodq; rectum bonumque est teneant. 1. Tes: 5. 21.

Alter locus a Smiglecio ex 4. capite Pauli Epist: ad Ephes: productus, priori illi ferè similis est, nisi quòd hîc insuper ea Spiritus S. dona commemorantur, quæ hodie minimè vigere res ipsa testatur. Vbi enim hoc tempore Apostoli, ubi Prophetæ, ubi Evangelistæ? Quamvis enim & pastorum doctorumque ibidem mentio fiat: tamen cùm Apostolis Prophetisque adjungantur, & ideo ad idem illud tempus referantur, non video, quomodo Smiglecius hoc Apostoli testimonio causam suam constituat. Fieri enim potest, ut quemadmodum Apostoli Prophetæque cessârunt: ita & pastores illi cessaverint, cùm præsertim Apostolus ne uno quidem verbulo indicet, pastores & doctores illos, ipsamque adeo Ecclesiam semper extituram esse, & insuper compertissimum sit, eam ipsam Ecclesiam, ad quam hæc verba scripta sunt, & ad cujus pastores seniores que priora illa Apostolus fecerat, unà cum suis doctoribus defeciisse. Parumné igitur liquet neque hunc neque superiorem locum, quicquam Smiglecianæ causæ præsidii afferre? Quòd enim Smiglecius asserit, istam munerum & ministeriorum divisionem ad finem usque mundi permansuram, idque illis Apostoli verbis confirmari putat: *Donec omnes occurramus, in unitatem fidei & agnitionem Filii Dei in virum perfectum*, longè fallitur. Nam nec ullam hîc Apostolus finis mundi mentionem facit, & cùm, ut diximus, miraculosa ista donorum distributio cessaverit, Paulique hæc verba verissima esse fatendum sit, sensum istum continere non possunt, & denique nihil prohibet, quo minus omnia ab Apostolo enumerata in primæva illa Ecclesia facta fuisse credamus. Neque enim per Christum stetit, qui tot muneribus Ecclesiam illam ornaverat, quin omnes ipsum perfectè agnoscerent, in virumque perfectum evaderent. Ephes: 4. 11. Ephes: 4. 13.

Inscienter autem Smiglecius Christi corporis complementum seu plenam ætatem, ita ad ipsius membra refert, ut eorum accessione crescat indies, virilemque ætatem, non nisi in fine mundi acquisiturum sit, cùm istius sensus, ne vestigium quidem, in Pauli verbis appareat, ipsaque eorum complexio satis doceat, apostolum nihil aliud dicere velle, quàm Christum in variis donis Ecclesiâ cohonestandâ, hoc maximè spectasse, ut ejus membra, inter alia hîc com-

commemorata, ipsum unà cum omnibus, quæ unquam gessit, semper sibi tanquam scopum vitæ, omniumque actionum suarum proponerent, ad perfectamque ipsius sanctitatem semper adspirando, in viaque pietatis ab ipso præscriptæ quotidie longiùs procedendo ei tandem quam simillima evaderent.

Iam quòd vocationis necessitatem ex his sequentibus Apostoli verbis apparere ait. *Ne simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ*, id nimirum ad primævam illam Ecclesiam spectare, ex eo colligitur, quòd ut demonstravimus, ipsa donorum spiritualium, de quibus hîc sermo est, distributio, non nisi illis temporibus vigebat. Tunc enim homines maximè infantes erant, aliique hoc alii alio doctrinæ vento agitabantur, cùm partim Iudaicis superstitionibus, partim gentiliciis erroribus implicarentur, vel cùm in elementis Christianæ religionis adhuc versarentur. Adde quod Christiana religio nova inauditaque erat. Ergo ut pueri esse, aliasque præter disciplinam Christi, doctrinas sequi desinerent, consentaneum divinæ sapientiæ erat, variis tùm donis, tùm miraculis eam confirmare, evidentissimeque demonstrare, non nisi in hac salutarem veritatem contineri. Et hanc quidem esse Apostoli mentem, vel ex voce *amplius* patet, quam non nostra, sed illa tempora respicere res ipsa docet, ut facilè appareat, homines ante Christi doctrinam promulgatam, eoque quo diximus modo confirmatam, vel in elementis doctrinæ Christi adhuc hærentes, pueros errantes fuisse: & ne amplius tales essent, ista divinorum donorum divisione provisum fuisse. Id quod etiam ex altero huic simillimo loco patet. Idem quippe Paulus 1. Corin: 12. v: 2. postquam Corinthios, cùm ethnici essent, puerorum more, ad muta simulachra sese abduci passos fuisse, dixerat, statim de spiritu sancto variisque ejusdem donis miraculisque quibus Christi doctrina erat confirmata, disputat, & simul causam indicat, cur pueritiâ illâ abjecta Christum dominum suum appellaverint, id est, ipsius imperio doctrinæque sese subjecerint. Ex quo consequitur, ut tunc propter hominum imperitiam, Christique religionis novitatem, ista fieri oportuit: ita hodie, postquam eadem Christi doctrina nova esse desiit, satisque iam confirmata est, miraculosa ista ministrorum constitutione opus minimè esse, omnibus quippe jam, solam Christi doctrinam veram esse constat, & porrò qui hoc tempore, quolibet doctrinæ vento agitantur, & sic Christi doctrinâ repudiatâ, aliud Evangelium, ut Paulus loquitur, amplectuntur, ii non pueritiam excusare, sed suam malitiam accusare debent. Ex quo intelligi-

Ephes: 4. 14.

Gal: 1. 6.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

telligitur, ad huic malo occurrendum, nihil amplius requiri, quam ut Christi doctrinam, semel traditam firmissimè teneamus.

Pergit Smiglecius & multum nobis largitur. Ait enim: *Credibile esse ministros nostros, absque ulla vocatione docere posse, si certò constet, eos eadem eodemq; sensu docere, quæ quoque sensu Apostoli docuerunt.* Hîc quia ipsa disputationis series locusque ex quo Smiglecius argumentatur, indicat, de singulari miraculosaque spiritus sancti vocatione, quæ ad rem olim novam prædicandam confirmandamque adhibebatur, sermonem esse, intelligendum primò est, tantum abesse, ut qui sese veterem illam Apostolorum doctrinam hodie prædicare profitetur (quamvis in quibusdam, Apostolorum sensum non assequatur) is absque ista vocatione docere nequeat, ut potius eam habere non possit, cùm, ut demonstravimus, iste vocandi modus jam pridem cessaverit. Deinde cùm nos hîc potissimùm Smiglecius oppugnet, dicimus nos eas Apostolicæ doctrinæ partes, apud populum proponere, quæ adeò sunt claræ perspicuæque, ut de earum sensu, non nisi ab iis dubitari possit, qui aut eas non audiunt, aut mentis cæcitate, aut summâ malitiâ impediuntur: quales ne ipsius quidem Christi Apostolorumque dicta intelligere potuerunt. Prædicamus quidem cùm alia multa luculentissimè a divinis autoribus scripta: tùm potissimùm ea, quibus salutis nostræ summa continetur: quorum quidem sententiam, propter summam eorum claritatem, ab omnibus, qui memoratis vitiis non laborant, uno modo percipi posse, nemo nisi insanus negabit unquã. Quod enim Smiglecius dicit, omnes hæreticos id sibi vendicare, & tamen falsa pugnantiaque docere, id quidem ad nos nihil pertinet, qui cum hæreticis nihil conjunctum habemus. Si namque ita est, ut Smiglecius asserit, id ideo censemus, quia hæretici isti animum ad legendam scripturam afferant, iisdem, quæ diximus, vitiis impeditum. Quod si hæreticorum nomine eos intelligit, qui similiter a papatu defecerunt, nimirum Lutheranos Calvinianosque, dupliciter errat. Nam nec hæreticos eos esse, nec in rebus per se claris, quarum paulò ante meminimus, a nobis dissentire, ulla ratione comprobari potest, ut infra docebimus. Ex quo fit, ut nisi aliud spectaretur, illorum ministri æque ac nostri ex Smiglecii etiam sententia, non solùm sine illa miraculosa; sed etiam ea quæ hodie adhibetur vocatione, has, quas diximus, Apostolicæ doctrinæ partes prædicare possent. Fatemur quidem eos in illis a nobis dissentire, quæ ad salutem necessaria non sunt, quæque propter præjudicatas opiniones, quamvis non adeò per se obscura percipere nequeunt: Verùm ad

rùm ad dissensionem istam tollendam, non opus est ejusmodi doctoribus, de quibus Paulus in hoc testimonio loquitur. Nam præterquam quod aliâ viâ rationeque hoc fieri potest, etiam hodie nobis darentur, si omninò illis opus esset: quod contra esse satis jam ostendimus. Papisticos enim Doctores tales non esse, & res ipsa loquitur, & jam olim a multis doctis viris, & hodie a nostris hominibus abundè demonstratum est. Frustra igitur in hæc verba prorumpit Smiglecius: *Noluit Deus oves, suis pastoribus sapientiores esse, neque de doctrina pastorum suorum judicare: Sed eas reverenter audire, & eorum verbum, non ut verbum hominum, sed ut Dei verbum accipere.* Nam præterquam quod se suosque veros veræ Ecclesiæ pastores esse, probare non potest, etiam in hoc errat, quod oves de pastorum doctrina judicare debere negat. Quid enim? an illi Berrhœenses peccarunt, qui Pauli, quantumvis Apostoli doctrinam examinaverunt? Item an Ioannes delirat, qui spiritus probari jubet, an ex Deo sint? Item Paulus qui omnia vult probari, & quod bonum est teneri? At inquit, *Pastores reverenter audiendi, & eorum verbum, non ut verbum hominum: Sed ut Dei accipiendum.* Certè: At tunc ut verbum Dei accipi potest, cùm verbum Dei esse ex scripturæ scrutatione cognoscitur, ut de Berrhœensibus modò commemoratis scriptum legimus. Nec est quod vereatur Smiglecius, ne si ita fiat, ovis pastore sapientior sit. Cùm qui alterius dicta, qualia sint, explorat, non sapientiorem sese illo faciat: Sed ovem se se præbeat, non brutam, quæ recipiat quæ non intelligit. nisi Berrhœenses qui dicta Pauli examinârunt, Paulo Apostolo se se prætulisse statuere velimus. Quod quidem absurdum ineptumque censeri debet.

Act: 17. 11
1. Ioan: 4. 1.
1. Thes: 5. 21.

Ex his perspicuum est, etiam ea, quæ post modum Smiglecius dicit, nihil ad nos convincendos virium habere, cùm ait: *Vnde enim constabit ipsos non mentiri, cum suam doctrinam pro Apostolica venditant. Nam si dicant, se id probare ex scripturis Apostolicis, id facilè refellitur. Nam etsi de verbis Apostolicis constat, de sensu tamen gravis oritur controversia: ita ut sæpè accidat ex iisdem verbis, contrarios sensus, & sententias colligi posse. Nam ex illis verbis: hoc est corpus meum, Catholici veram & realem corporis Christi præsentiam colligunt: Calvinistæ & Ariani contrarium plane inferunt: utrique verò suam sententiam Apostolicam prædicant.* Respondeo illo exemplo aliisque similibus nequaquam probari, non ex scriptura cognosci posse quis mentiatur, quis minùs. Cùm hæc de istis verbis dissensio, non in ipsa eadem verba conferenda sit. Sed in illos ipsos, qui ea non satis considerant, judiciumque aut præju-

præjudicata opinione, aut negligentiâ, aut aliis vitiis obscuratum, ad ea legenda afferunt. Ex quo fit, ut licet quidam suam de illis sententiam Apostolicam esse prædicent, non protinus tamen sequatur, rem ita se habere. Quinimò ex iis ipsis verbis perspicitur, catholicos, iis veram realemque corporis Christi præsentiam in cæna, confirmari asserentes, valde errare: mentiri non dico, ne par pari referre videar. Aliud quippe est dicere; hoc est corpus meum: aliud: meum corpus verè realiterque præsens adest. At inquit Smiglecius, *hanc Catholicorum sententiam ex his verbis colligi.* Respondeo & hoc falsum esse ex scripturis patere: cùm vox *Hoc*, non ad panem simpliciter: sed ad ejusdem acceptionem, fractionem comestionemque relata, non realiter Christi corpus adesse, sed Christum commemorari ipsiusque mortem annunciari declaret, ut ibidem Paulus explicat. Intueatur igitur Smiglecius scripturam oculis intentioribus, & comperiet, eam ad falsum a vero dignoscendum sufficere.

1. Cor: 11. 24. 26.

Quæ posteà Smiglecius de ministrorum consecratione dicit, ea quia infra in examine secundæ demonstrationis, nescio quam Methodum secutus, repetit, in illum locum rejicimus.

Caput II. A Smiglecio hoc pacto inscriptum:

Tria scripturæ testimonia de vocatione & missione ministrorum expenduntur, & a calumniis Arianorum vindicantur.

SEQUITUR ut de reliquis tribus testimoniis agamus: tametsi enim satis in superiore nostra responsione, ex iis Smiglecii assertionem concludi minimè posse docuimus: cùm tamen Smiglecius conquiescere non potuerit, quin planè sese omnib: deridendum exponeret, redeamus sanè ad denuo ea examinanda. Ac primò quidem apud autorem ad Hebræos cap. quinto sic legitur: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo tanquam Aaron.* Hæc divini autoris verba Smiglecius in suo nodo absolutè de quovis honore, ad ministrandum in iis quæ pertinent ad Deum, accipienda esse, affirmaverat. Nos respondeamus, ea nihil quicquam ad rem, qua de agitur, pertinere, cum nõ contra eos, qui honorem summo pontifici debitum sibi minimè vendicant:

Heb: 5. 4.

cant: Sed in illos qui Aaroni Christoque sese in pontificatus munere succedere gloriantur, asserenda fuerint. Quòd autem Smiglecius autorem istum absolutè de quolibet honore loqui asserit, id nimirum a vero alienissimum est. Cùm enim totus contextus, de eo honore, qui summo pontificatu continetur, sermonem esse indicet, articulusque in græco additus, de certo honoris genere verba fieri convincat, quo pacto, quæso, quæ hîc a Smiglecio dicuntur, constabunt? Qua de causa quidem rerum divinarum peritissimi, non simpliciter honorem, sed *hunc honorem* verterunt. Hæc responderamus Smiglecio. Quæ quidem ipse sic refutare conatur. *Non advertit*, inquit, *Volkelius, Paulum universè proponere, nemini licere ullum honorem aut auctoritatem, in iis quæ sunt ad Deum, sibi usurpare, sine legitima vocatione.* Rectè putas mi homo. Neque enim illud adverti potest, quod non est, quodque aliter se habere ipsa contextus ratio luculentissimè docet. Quòd autem articulum *honoris* vocabulo adjunctum, certum nimirum pontificatus honorem, indicare, contra omnem rationem negat, id facit Iesuitica autoritate fretus. Est quippe Iesuiticæ Theologiæ Doctor, in cujus verba, nullo judicio adhibito, omnes jurare oportet, quamvis & res ipsa aliter esse convincat, & omnes docti hanc articuli, simplici alicui vocabulo appositi vim agnoscant. Sed benè habet: largitur tandem nobis D. Doctor, pro sua in nos liberalitate, quod volumus, quodque iam nostrum est, nimirum divinum illum autorem, de solo pontificatus honore orationem habere. Ipse enim sine dubio animadvertit, causam suam isto testimonio sustineri non posse.

Demus, inquit, *Volkelio quod vult.* Interim verò nos graviter premit, si diis placet, cum ait: *Dico Paulum a simili argumentari. Si enim pontificatum Aaronicum nulli licuit sumere, neq; Christum suum pontificatum sibi perse ipsum sumere debuisse, quæ prabatio a minore ad maius non valeret. (quod enim Aaronicis pontificibus non licuit, potuit licere Christo qui est omni ratione illis maior atque præstantior) Sed ratione rem perurget S. Paulus* Hæc Smiglecius. Vbi animadvertendum est, eum causæ suæ constituendæ gratiâ, ea autori isti affingere, quæ neque ab eo dicta sunt, neque ex ejus verbis colligi possunt. Primò enim haud ita loquitur divinus autor, ut eum loquentem inducit Smiglecius: nec a minore ad majus argumentatur. Nam præterquam quòd nullum huius modi argumentationis hîc apparet vestigium, etiam non ex ea parte Aaronis Christique fit mentio, quatenus ille minor hic maior est: sed quatenus non minus Christo quam Aaroni, ad pontificatus adeptionem divinâ

gratiâ vocationeque opus fuit. Ex quo insuper apparet, autorem istum nulla planè argumentatione, hoc in loco uti: Sed rem propositam simpliciter declarare. Multò igitur rectiùs veriusque locutus fuisset Smiglecius, Si ea, quæ paulò ante dixerat, retinuisset, ita tamen ut ad subjectam materiam vel ad id, quod nobis largitus est, accommodarentur, hoc pacto: Quod verò de honore pontificatus in communi proponit divinus autor, pulchrè deinde in particulari ad pontificatum tam Aaronis quam Christi accommodat, sensusque est: Nemo nisi a Deo vocatus pontificatum sumit, ut tum Aaronis, tum ipsius Christi exemplo edocemur. Inania igitur prorsus sunt, quæ Smiglecius postmodum subjungit. *Honorem enim*, inquit, *Pontificatus, quia honor est, non licet cuiquam sibi sumere*, cùm ex paulò antè dictis perspicuum sit, honorem pontificatus, non quia honor simpliciter est: sed quia est honor pontificatus, a nemine, nisi, cui divinitus datur, sumi. Ex quo fit, ut Smiglecius frustra tergiversetur, & nihilominus universalem propositionem Pauli verbis vel expressè vel tacitè contineri asserat, nullum scilicet honorem in ecclesia licitum esse, cuiquam sibi sumere. Verrat enim se in omnes partes, imo rumpatur etiam, nunquam quod & per se verissimum est, & ab ipso ultrò nobis datum, de manibus nostris extorquebit.

Vrget tamen Smiglecius & nihil remittit: *Si Volkelius*, inquit, *credit, aliquos honores ecclesiasticos, licitum esse, cuique sibi usurpare, absurdè & contra omnem rationem loquitur*: quasi vero hîc quæratur, quid Volkelius credat, aut non credat: & non potius, an ex hoc autoris divini testimonio, id, quod vult Smiglecius, convinci possit, nec ne. Instat autem Smiglecius aitque: *Non valet quod Volkelius pro se adducit; Ministros Arrianos pontificatum, de quo solo hic agitur, sibi non arrogare. Nam qua ratione non licuit cuipiam Pontificatus honorem sibi arrogare, eadem ratione nullum alium honorem licebit arrogare, si vera est ratio Pauli.* hæc ille. Atqui hanc esse pauli rationem nunquam probabit Smiglecius, & nos longè aliter esse, iam satis demonstravimus: & porrò etiam quod addit Smiglecius, falsissimum est, nimirum, *Similem legem haberi in novo testamento, ut quemadmodum olim pontificatus Aaronicus, non nisi illi obtigit, qui legitimè ordinatus consecratusque esset: ita & ministri manuum impositione consecrentur & spiritum sanctum ad munus rectè obeundum accipiant.* Falsum inquam, hoc est. Vt enim legem de Pontificibus Aaronicis consecrandis, extitisse facilè concesserim: aliquam tamen de ministris Ecclesiæ Christi consecrandis extare planè nego, quamvis rei istius exempla haberi non diffitear, Verùm quid hoc Smiglecianæ

causæ

causæ præsidii afferat, non video; cùm ad absolutam missionis necessitatem probandam, non exemplis sed legibus agendum sit, & ut in nodi dissolutione diximus, canon afferendus, quo cautum sit, ne ullus divinum verbum prædicare, aliosque officii admonere audeat, qui publica quadam cerimonia consecratus non sit.

Sed iam ad alterum testimonium veniamus, quod Rom 10. v: 15. extat: *Quomodo prædicabunt*, inquit Apostolus, *nisi mittantur*. Quibus verbis Smiglecius missionis necessitatem, quâ nostris ministris ad Evangelium prædicandum opus sit, confirmari putat. Nos verò in nodi dissolutione evidentissimis rationibus demonstraveramus, ex hoc Pauli testimonio, id quod vult Smiglecius, colligi minimè posse, quas cum Smiglecius præterierit, tum ipsum tum lectorem adeas remittimus. Hoc autem in loco addendum putavi, testimonium istud, superiori de pontificatu, in hoc perquam simile esse, quòd quemadmodum nemo pontificatum, nisi Deo vocante, sumere potuit: ita nemo Apostolus esse, & sic munus Apostolorum proprium exequi potuit, nisi quem Christus Apostolum fecit. Munus porrò Apostolorum proprium erat prædicare, idque non eo modo, quo hodie prædicatur, cum qui hodie prædicant, Apostoli non sint, & illo prædicandi genere, quo Apostoli usi fuerunt, non nisi is uti possit qui Apostolus Apostolorum socius est. Perinde enim est, ac si Paulus hunc in modum locutus fuisset. Quomodo prædicabunt nisi sint Apostoli? cum Apostolum missumque esse idem declaret, Ex quo apparet, Paulum de prima anteaque inaudita Evangelii prædicatione loqui, quam hodie quatenus prima est, nemo usurpare potest: ut facilè appareat, illud licere & non licere, nullum hîc locum habere, ut ex similibus rebus, hac Apostolica gradatione comprehensis apparet. Vt enim hæ locutiones: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante?* illud licere vel non licere planè respuunt, cum nequaquam eum sensum admittant, ut posse eum qui non credit, invocare, & qui non audivit credere, & cui non prædicatum est audire concedant, verùm non licere; cùm hîc simpliciter fieri ista posse negetur: ita & de hac postrema interrogatione judicandum est, nimirum nequaquam fieri posse, ut is prædicet, id est prima illa prædicatione utatur, nisi mittatur sive Apostolus sit. Interim tamē & hodie Christi doctrinam ab illis etiam jurè proponi, qui Apostoli minimè sunt, ne Smiglecius quidem opinor, negabit: cùm Apostolos cessâsse manifestum sit, ipseq; non obscurè fateatur. Quoniam igitur nostri ministri primam illam Rom: 10. 14.

prædicationem, sibi minimè vendicant, Sed tantùm eam repetunt reliquisq; inculcant, aut certè sese hoc facere profitentur, quorsum quæso attinet, missionis, quæ Apostolorum propria est, rationem ab illis exigere? *At*, inquit Smiglecius: *Fallitur Volkelius; Qua enim ratione primis illis prædicatoribus, sine divino testimonio credi non debuit: eadem ratione nec aliis ministris credi poterit. etiamsi ea prædicare se iactitent, quæ ab Apostolis prædicata sunt.* Atqui D. Doctor hoc non est directè respondere, nec rationes nostras refellere: Sed aliud argumentū præter legitimam disputandi rationem, nobis opponere, quod quidem falsissimum esse satis ex iam dictis intelligitur, quibus, quod ad rem propositam attinet, aliam Apostolorum, aliam nostrorum ministrorum rationem esse ostendimus: nimirum quia illi doctrinam Christi, quatenus tunc nova inauditaque erat, prædicârunt, hi verò non item, satisque est, eam nos doctrinam prædicare, quæ ab Apostolis, divinis testimoniis ornatis atque munitis, prædicata olim fuit. Quid quod & ipse Smiglecius aliam rationem affert, dicens: *Quid si in eo, in quo se iactitant, mentiantur?* Ergo putat Smiglecius, eam ob causam nostris ministris missione opus esse, quia falsò profiteri possint, se ea prædicare, quæ Apostoli prædicârunt. Quæ quidem consecutio ineptissima, & ideo tanto Doctore indignissima est. Quid enim, si verbi causâ, quispiam legati alicuius orationem in senatu habitam literisque consignatam ac publicatam, sese repetere, eademque quæ legatus dixerat, dicere profiteatur, num quæso & hunc legatum missumque esse oportet, aut quia periculum est, ne mentiatur, protinus missionem ostendat necesse est? Nemo, opinor, ita cum ratione insanit, ut istam stultitiam approbet: cum proxima via, utrum talis mentiatur nec ne, explorandi, sit, orationem illam inspicere, ad eamq; illius dicta examinare. Valde igitur miror Smiglecium, hominem alioqui nasutum & ad struenda Sophismata acutissimum, contradicendi studio, ita a ratione avocari, ut intelligendo nihil intelligere videatur. Non missione igitur sed diligenti doctrinæ Christi, tum lectione, tum consideratione opus est, ad ministrorum dicta exploranda.

Similem stultitiam continent ea, quæ postmodū subiungit Smiglecius inquiens: *Etenim cùm ministri Ariani, Christum non esse verum Deum ex Apostolorum doctrina prædicant, totus mundus illos mendacii arguit, qui totis his mille sexcentis annis, ex doctrina Apostolorum Christum esse verum Deum credidit. Non igitur satis est ministris ad hoc, ut credi ipsis debeat si nudis verbis iactitent, se doctrinam Apostolorum prædicare, hoc enim quivis hæretici faciunt: alioqui credant Ariani ministris Lutera-*

nis &

nis & Calviniſtis, qui naturam Chriſti divinam multò verius ex ſcriptis Apoſtolorum docent, quàm unquam probare potuerint Arriani. Quod ſi illis aſſentiri nolint, fateantur oportet, non ſatis eſſe ad autoritatem prædicatori conciliandam, ſi dicat, ſe Apoſtolorum doctrinam docere: Sed miſſionis præſidio & teſtimonio opus habere, ut fidem ſuæ prædicationi concilient. Reſpondeo, in univerſa hac ratiocinatione ea contineri, quæ partim falſiſſima ſunt, partim peſſimè concluſa. Primò enim nihil a vero alienius eſt, quàm nos, quos Arianos per calumniam nominat, Chriſtum verum Deum negare, idque ex Apoſtolorum doctrina, cùm, ſi ullum genus hominum veram Chriſti divinitatem in Apoſtolica doctrina expreſſam credit, tuetur urgetque, nos certè ii ſimus, ut ex noſtris ſcriptis cuilibet conſtare poteſt. Quæ quidem aut legit Smiglecius, aut non legit. Si legit, & tamen ita nos calumniatur, contra conſcientiam facit; ſi non legit, & nihilominus iſto nos premit convitio, imprudens levisque eſt, diſputatorque ineptus, qui adverſarii ſententiam ignorans, contra eam diſputare non dubitet. Deinde quòd dicit, Lutheranos Calviniſtasque multò veriùs Chriſti naturam divinam ex ſcripturis docere, quam unquam probare potuerint Ariani, dupliciter veritati repugnat. Nam & præſupponit, nos, quos falſò Arianos dicit, Chriſti divinam naturam ex ſcripturis probare, quod falſiſſimum eſt; cùm hoc facere nunquam conati fuerimus, nec id ullo pacto fieri poſſe credamus, & miniſtros Lutheranos Calviniſtasque hoc veriùs, quàm nos facere dicit, quod aliter ſe habere, ex ipſa ſcriptura convincitur, quæ quicquid Chriſtus divinitatis ſublimitatisque habet, non naturâ illum, ſed Dei beneficio, & quatenus homo eſt, habere paſſim teſtificatur, ut tum ex multis aliis noſtris ſcriptis: tùm maximè ex iis, quibus non ita pridem Smiglecii ſomnia repulſa proſtrataque ſunt, intelligi poteſt. Iam ut hanc Smiglecii ratiocinationem peſſimè concluſam eſſe, doceamus, intelligendum eſt, minimè conſequens eſſe, ut quia omnes alii, quos Smiglecius hæreticos nominat, ea ſeſe prædicare profitentur, quæ Apoſtoli prædicârunt, idcirco protinus ad miſſionem neſcio quam decurrendum eſſe. In medio quippe eſt Chriſti apoſtolorumque doctrina, novi teſtamenti libro comprehenſa, de cujus veritate nemo dubitat, & porrò qui in prædicando eam ſequitur, is quin vera doceat, fieri non poteſt. Ad hanc igitur normam ſtateramque omnes omnium doctrinæ perpendantur, & citra ullam miſſionem facilè apparebit, quis eorum vera prædicet, quis mentiatur.

Pergit Smiglecius & aſſerit, *miniſtros noſtros minimè probare poſſe, ſe ſcri-*

se scripturam per scripturam exponendo minimè fallere: cùm idem & hæretici omnes faciant, & vicissim se exagitent, quòd mendaciter & fallacissimè scripturas per scripturas interpretentur, & ut minimum auditores imperiti & simplices, de ea re judicium ob ignorantiam facere non poterunt, sive vera asserat prædicator, sive non. Debent igitur necessariò ad missionis præsidium recurrere. Respondeo, Smiglecium hîc duas potissimùm consecutiones, easque pessimè constitutas, ponere. Prior est: omnes hæretici scripturam cum scriptura conferunt, & tamen se invicem exagitant. Ergo recurrendum est ad missionem. Hanc consequentiam eo nomine vitiosam dico, quia antecedens principii petitionem continet. Probandum quippe est, omnes hæreticos scripturam cum scriptura conferre, quique hoc faciunt, eos hæreticos esse. Dicet: at sese id facere jactitant. Atqui ne hoc quidem valet, cum scripturæ collatio, non illi qui eâ se uti gloriatur: Sed qui revera utitur, tribuenda sit. Quòd autem qui scripturæ collationem sibi vendicant, alii alios insectantur, id non ad scripturæ collationem referendum est: hæc enim semper optima expeditissimaque veritatis indagandæ via est. Sed ad illos, qui, ut dixi, in via ista non insistunt; idque maximè eam ob causam, quòd ex cœno Antichristiano nondum planè emersi, præjudicata, multis in rebus, opinione ducuntur. Posterior est: Imperiti & simplices, in tanta scripturas conferentium dissensione, judicium facere non possunt. Ergo opus est missione. Respondeo, cùm simplicibus, ut & omnibus aliis, satis sit ad salutem consequendam, ea nosse, in quibus salutis summa consistit, cumque de his nulla sit inter illos, qui a papatu defecerunt dissensio, quippe quæ adeo sint manifesta, ut a quovis intelligi possint, modò animo sit probo, inque iis cognoscendis operam industriamque ponat; facilè verum a falso dijudicare poterunt. Smiglecius tamen, ne planè superatus esse videatur, ad Pauli testimonium recurrit, inquiens: *Iam quod Volkelius asserit, Paulum solùm de prima prædicatione & primis illis Evangelii prædicatoribus loqui, falsissimum est. Nihil tale indicat, sed universè docet, quomodo tam Iudæi, quàm gentiles Deum invocare, & in eum credere possint: non illo tantùm Apostolorum tempore: Sed omnibus ad finem usque mundi temporibus. sic enim ait: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiverunt? aut quomodo audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Quis non videt, hæc universè ad omnes omnium temporum prædicatores pertinere? Anne ad omnes omnium temporum homines non perti-*

pertinet, invocare nomen Domini, credere, audire verbum Dei? Cur igitur ad omnes omnium temporum prædicatores non pertineat prædicare & mitti? Hîc primò respondeo, ipsum Smiglecium id dicere, quod falsissimum est, nimirum Apostolum nihil tale indicare, ex quo scilicet de prima illa tantùm prædicatione illum loqui pateat, cùm, ut paulò ante ostendimus, de eo prædicandi genere verba faciat, quod non nisi ad Apostolos seu missos pertinet. Hoc autem illud primum fuisse ipsa ratio dictat. Quid, quòd in Nodi dissolutione plures attuli rationes, idem planè convincentes, quas a Smiglecio priùs convelli oportuit, quàm in hæc verba prorumperet. *Nec ex eo, quòd omni tempore nomen Domini invocare, credere, audireque oportet, consequitur, illud Apostolorum prædicandi genus omnium temporum commune esse.* Nihil enim prohibet, quominus ex diversa ejusdem Evangelii prædicandi ratione eadem fides invocatioque oriatur. Quod quo magis doceamus, fatemur quidem, Evangelium per se consideratum, omnib: temporibus servire: quatenus tamen omnium primò prædicatum fuit, non nisi ad Apostolos primumque illud tempus spectare dicimus, ut facilè appareat, ex prima illa Apostolorum prædicatione consecutum esse, ut non solùm tunc: verum etiam postea, & sic nostro etiam tempore, omnes nationes amplissimam audiendi, credendi, & sic nominis Domini invocandi occasionem habeant, cùm præsertim illa prædicatio literis consignata, sequentibus ætatibus, quatenus licuit, iterata repetitaque fuerit, & etiamnum repetatur.

Sequitur, ut de tertio scripturæ testimonio videamus, quod est apud Hieremiam capite 23. v 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant.* Hinc Smiglecius colligit, nostros ministros, quia non sint legitimè missi, nec Deo probari, nec ipsius pœnam effugere posse. Nos responderamus, Smiglecium illud testimonium, quod de illis agit, qui sese prophetas a Deo missos nominabant, ineptissimè ad eos detorquere, qui sese pro prophetis minimè gerunt, nec ullam missionem sibi tribuunt. Respondit Smiglecius, nos verba sacræ scripturæ non rectè expendere; Duo enim Deum prophetis illis objicere: & quòd currerent ipsi per se, cum non essent missi: & quòd dicerent, Deum sibi locutum esse. Nos vero dicimus, ipsum Smiglecium, hæc prophetæ verba, non satis attentè considerâsse, idque ex eo patere, quòd verbo *Currere* ineptissimè ad nos convincendos abutitur: quasi verò si missionem nobis non attribuamus, currere tamen nos, idque non missos, negare minimè possimus. Intelligendum

igitur

igitur est, nos neutrum nobis assumere: cùm *Currere* isto in loco, non minùs ad prophetas illos referatur, quàm fallax missionis simulatio & utrumque idem prorsus significet. Hanc enim divinorum autorum consuetudinem esse, ut quoties rem quampiam exaggere dilucidiusque explicare volunt, pluribus eam verbis exprimant, nemo nisi sacrarum literarum planè rudis ignorare potest. Idem porrò in hoc divino testimonio fieri, ipsa verborum collatio docet, perindeque est, ac si dixisset propheta: *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, id est, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Mittere enim prophetam nihil aliud est, quàm ad ipsum loqui, id est, ei mandare, quod prophetare debeat; & *Currere* hîc nihil aliud est, quam prophetare. Ita autem esse, ut dicimus, & porrò Smiglecii sophismati, quod hinc extruere cogitavit, nullum locum relinqui, omnes cordati intelligunt. Vt enim nec misisse nos Deum, nec ad nos singulari modo locutum esse dicimus: ita nec illud Currere propheticum seu prophetare nobis arrogamus. Ex quo perspicuum est, nos illa Dei querimonia nulla ex parte comprehendi, cum ea prædicemus, vel potiùs apud homines repetamus, quæ Deus non quidem singulari, communi tamen ad omnesque pertinente ratione, per Filium Apostolosque suos, ad nos locutus est. Frustra igitur, imò inaniter planè Smiglecius Levitarum ordinem & Oziam regem adolere volentem hoc loco commemorat. Quis enim nostrum negat, tantùm Levitas olim ad ministrandum admitti debuisse, Oziamque jure & reprehensum ab Azaria, & a Deo punitum fuisse? Verùm hoc ad rem nihil facere, in superiori nostra responsione, his verbis demonstravimus pag:26. *Nec mirum, nemini tunc ad ministrandum accedere licuisse, nisi qui Levita esset, cùm legalis illa publicaque divini cultus administratio ad certam, nempe Aaronis, & Eleazari familiam adstricta esset, hodie verò minimè. Neque enim hac seculorum ætate quæritur, an qui divinarum rerum explicationem suscipit, Levita sit nec ne: sed utrum ad docendũ sit aptus, vitamque vivat piam ac inculpatam. Veterem enim illam religionem divinique cultus rationem Christo veniente, novamque disciplinam promulgante, defecisse, huicq; uti umbram corpori loco cessisse, ex Apostolorum testimoniis manifestissimum est. Idcircò non spectandum, hac tempestate, quid quaq; ratione sub lege gestum fuerit: Sed quid nobis Christus Apostoliq; mendaverint. Atque hinc perspicuum est, cùm nec Christus nec Apostoli, ullam ab eo, qui docendi partes suscipit, successionem missionemve requirant, pontificios frustra ex Mosaica lege, rerum istarum firmamenta petere.* Adhæc Smiglecius ne verbum quidem respondere potuit, & ta-

it, & tamen nescio, qua fronte idem Levitarum Oziæque exemplum, quasi a nobis non refutatum, a se autem satis defensum, repetiit.

Illud verò perridiculum est, quòd ante victoriam triumphans dicit: *Ex quibus patet, Volkelium nihil aliud his tribus testimoniis refellendis effeciſſe, quàm ut eorum lux magis eniteret, & missionis necessitas pateret magis.* Hæc ille. quin imò, ex iis, quæ diximus, perspicuum est, Smiglecium sua refutatione, effeciſſe, ut cum quantumvis tantum theologiæ Doctorem, nec testimonia ista intellexiſſe, nec porrò missionis necessitatem illis demonstrare potuiſſe, omnibus clariſſimè pateret.

Caput III. Quod sic inscriptum est:

Ministros qui legitimè missi non fuerint, dici in scriptura, adulteros, falsos prophetas, lupos rapaces, fures & latrones, Antichristi sectatores.

In hoc capite Smiglecius aliquot scripturæ locis, ad nos convincendos abutitur, quorum nullus adversus nos dirigi potest, quippe qui vel falsos prophetas cavendos, præmoneant, vel eos non audiendos, qui non per ostium, sed aliunde intrent, vel denique fugiendos, qui in nomine suo veniunt. Tales enim & adulteros esse, & lupos rapaces, & deniq; fures. atque latrones. Verùm cùm nostri ministri nec pro prophetis se gerant, nec in iis habendi sint, quos Christus non per ostium, sed aliunde in ovile ingredi dicit, nec denique in suo nomine veniant, quorsum attinet ista contra nos afferendo, omnium risui se exponere? Primò enim nostros ministros sese prophetas minimè nominare, satis ex supra dictis, intelligi potest, cùm is sese pro propheta gerat, qui se spiritu prophetico actũ, rem novam apportare profitetur, fidemque sibi, secluſa omni dubitatione, haberi postulat. Quod quidem nostros ministros minimè facere, plusquàm manifestum est. Deinde nequaquam consequens est, ut quia ab Episcopis Romanis ad ministerium vocati non sumus, idcirco nos non per ostium intrâsse, sed aliunde ascendisse, cùm hæc consecutio nec ullo rationis vinculo connexa sit: nec verba Christi continere hanc sententiam ulla res suadeat: Contra verò ex ipso contextu pateat Christum hæc eadem verba sua illis opposuiſſe, qui ante ipsum venerant, id est, pro Christis mundique servatoribus sese venditaverant. Quales istos minimè esse, qui Christi Apostolorumque doctrinam sequuntur, & sic non minus quàm alii Christi oves

Ioan: 10. 1.

Ioan: 10: 8.

sunt, quamvis charitate impulsi, aliis eam ovibus, subinde inculcent, nemo non videt. Hos enim nec ante Christum venisse, nec furari, nec ullum exercere latrocinium, manifestissimum est: ut nihil dicam, hoc in illos multò verius dici posse, qui ficta missione palliati, inanissimas fabulas hominibus obtrudunt, & sic vera eos pietate, veraq; Dei Christique colendi ratione, & denique sempiterna felicitate spoliant. Non eos denique ministros nostros esse, qui in suo nomine veniant, inde apparet, quòd in nomine suo venire, non Dei verba, sed sua ipsius figmenta apud homines proponere significat. Quod quidem nostros ministros
Ioan: 5. 43. hactenus minimè facere probatum fuit. Adde quod Christus, in eo loco, nequaquam prædicit tales aliquando extituros, qui in suo nomine veniant: sed si quis in nomine suo veniat, huic eos citiùs, quàm ipsi Christo credituros. Intelligendum præterea est, Christū hîc sine dubio, de ejusmodi homine loqui, qui quamvis novū quiddam afferendo nomen Dei prætendat, seque pro Dei legato venditet, re ipsa tamen in suo nomine veniat. Qua de causa & alibi Christ⁹ falsos prophetas in vestitu ovium venire dicit. Neque enim verisimile est Iudæos, quamvis alioqui obstinatos, adeo omni rectæ rationis judicio orbatos fuisse, ut si quis apertè sese in nomine suo venire, id est, seipsum intrudere, & non Dei verba, sed cerebri sui figmenta prædicare falsus fuisset, & nihilominus sibi credi postulâsset, eum recepissent. Ex quo rursus intelligitur, perperam hoc testimonium ad nos perstringendos, a Smiglecio adductum fuisse, cùm nec ullam missionem prætendamus, novævé rei prædicationem nobis assumamus: nec capitis nostri somnia proponamus: sed ea, quæ is, qui in nomine patris sui venerat, nempè Christus, semel tradidit, quantum in nobis est, recolamus; ad eademque præstanda alii alios admoneamus. Quod cùm ita esse, omnibus perspicuum sit, nihili sunt facienda omnia, quæ Smiglecius in hoc tertio libri sui capite, in nos evomit, convicia, lupos, fures, latrones, adulteros, prophetas denique falsos nos appellando, cùm nos nequaquam eos esse, quibus tituli isti in sacris literis tribuuntur, & res ipsa doceat, & satis jam a nobis demonstratum sit. Quin imò Smiglecius etiam atque etiam videat, ne hæc omnia in ipsum aliosque istius farinæ homines verissimè dici possint, qui sub fallaci missionis prætextu, subque prophetarum pastorumque per ostium intrantium inque Dei nomine venientium pallio, & ovium vestimentis induti, doctrinas disseminaverint falsas, pestilentissimosque errores, quibus salutaris Christi veritas, viaque ad sempiternam salutem obscurata, effectumque sit, ut homines, a vero Dei cultu ad horrendam idolo-

idololatriam, a veritate ad inanes fabulas mendaciaque, a veræ pietatis castitatis sanctimoniæque studio, ad omnium flagitiorum turpitudines deficiendi maximam causam habeant. Quas quidem doctrinas dæmoniorum, rectè a Paulo dici, nemo, opinor, negabit. Cùm quicquid homines a Dei studio ad scelera traducit, non nisi Diabolo adscribendum esse, omnes intelligant. Has autem doctrinas per simulationem, istius modi seductores, hominibus obtrusuros fuisse, idem Apostolus prænonet: simulationem autem istam, præter fallacem missionem, illis etiam contineri, quæ Paulus ibidem commemorat, apertissimum est. Tales nimirum simulatores, matrimonia vitanda, & quod consequens est, ipsos etiam illud spreturos, a cibis, certis nimirum statisque temporibus, abstinendum docturos fuisse. Quod quidem nequaquam a nostris ministris: sed a sacrificulis Romanensibus fieri, testis est totus mundus, ut interim egregios fructus, quos matrimonii contemptus apud istos Dei legatos pariat, silentio præteream. Desinat igitur tandem Smiglecius inanissimâ missionis larvâ nos terrere, sciatque nos Christo jubente, non ex ovium vestitu, sed ex fructibus prophetas falsos cognoscere. Cùm autem, ut ostendimus, doctrina prophetarum illorum, fructus gignat putres funestosque, valeant sanè cùm sua missione: phaleris enim istis quibus imprudentibus imponunt, apud nos certè, omnesque cordatos, ne hilum quidem proficient.

1. Tim: 4. 1. 2.

Math: 7. 16.

Ex iis omnibus quæ hactenus diximus, liquidò constare potest, omnia ea, quæ post modum dicit Smiglecius, nullius planè momenti esse, nimirum *hos titulos quidem etiam ad eos spectare qui se missos prædicant, cùm missi non sint, tamen non ad eos solos pertinere: Sed illos etiam complecti, qui se missos non asserunt.* Quid enim est rectæ rationis dictamini contradicere, si hoc non est? aut qua ratione docebit Smiglecius, testimoniis iis, quibus missionem falsò gloriantes reprehenduntur, etiam illos includi, qui a culpa ista longissimè absunt? At inquit: *Tales & si non verbis, factis tamen & operibus loquuntur se missos esse, cùm ea faciunt, quæ sine missione facere nefas est.* Hoc autem per summam calumniam in nos confert Smiglecius. Is enim sese ipso facto missum facit, qui ea exequitur, quæ nova inaudita que & sic missorum propria sunt, ad eosque ita adstricta, ut præterea nemini convenire possint. Quod quidem nostris ministris meritò assignari minimè posse, satis in superiore responsione ostendimus pag. 9. 10. 11. & infra suo loco evidentius, Deo juvante demonstrabimus.

Dicit tandem Smiglecius: *Summa rei est; aut falsum esse ministros &*

Pastores a Deo dari, quod scriptura affirmat: aut falsum erit, quod Arriani asserunt, ministros Dei vocatione & missione non egere. Respondeo. cùm dilemmatis partes oppositæ esse debeant: veraque oppositio omnem ambiguitatem excludat, nihil hîc agere Smiglecium. Duplex quippe hîc ambiguitas est, quarum altera diversa tempora respicit; altera verò ipsius dationis æquivocatione continetur. Ac illa quidem ita se habet, ut in primæva Ecclesia, Deum singulari ratione ministros dedisse constet: In hodierna non item. Qua de causa non semper quidem *dare*, sed *dedisse* ministros ab Apostolo dicitur. Iam ad ipsam dationem quod attinet, intelligendum est, non solùm tunc Deum dare ministros dici posse, cùm eos miraculosa ratione emittit; sed etiam cùm eorum conatus fortunat, qui sponte sua, ipsius gloriæ studio incensi, hanc provinciam suscipiunt, eoque magis, si ad eam appositi sunt. His & tertia ambiguitas accedit, quæ est in illis Smiglecii verbis: *Arriani asserunt ministros missione non egere:* cùm vel is eorum sensus sit, ut nullo modo missione opus sit: vel opus quidem sit; verùm non planè, sed ut dicitur, secundùm quid. Ex his omnibus simul positis facilè apparet, utrumque in hoc Smiglecii dilemmate positum, diverso respectu & verum & falsum esse, & ideò Smiglecium in ejusmodi Syllogismis componēdis non satis exercitatum esse: cùm in hoc argumentandi genere, utraque pars vera falsaque esse non debeat, quippe quòd partes habeat distinctas, exque his Syllogismus disjunctus appelletur.

Caput IIII.

PERGIT Smiglecius, & nos contra omnem rationem negare asserit, ministros Ecclesiæ Vocatione & missione egere. Respondemus autem ea rationi repugnare, quę notitias nobis innatas evertunt, quo pacto illi faciunt, qui, exempli gratiâ, negant, bis quatuor esse octo. At hîc nihil tale a nobis committitur, cum absque singulari propriaque missione, Christi Apostolorumque disciplinam, sibi aliisque proponere, & in memoriam revocare, nullum rationis principium convellat: nisi & illos dispersos, aliosque quos citra missionem Evangelium prædicâsse accepimus, sani judicii rationem violâsse volumus. At inquit Smiglecius: *Si in republica aliqua ordinata id pronunciarent, ut fatui ab omnibus exibilarentur & exploderentur. Quis enim ferat publicæ civitatis munia a quolibet ad libitum usurpari, sine ulla magistratus aut principis autoritate.* Respondeo, hoc non esse demonstrare nostram assertionem rationi repugnare, cùm hæc disputando ea fortassis dicamus, idq; aliqua tantùm ex

tùm ex parte, quæ in Republica mundana locum non habent: rationi verò nequaquam adversantur. Posse autem fieri, ut multa ab hominib: mundanis, ex quibus civilis respublica conflata est, derideantur, quæ tamen rationi contraria non sunt, exemplo sunt omnia ferè Christi præcepta, ea præsertim, quibus per magistratum dentem pro dente, oculum pro oculo repetere, inimicum odisse aliaque his similia facere prohibemur. Quæ tamen ut & alia Christi præcepta rationi nequaquam repugnare omnes saniores theologi fatentur. Diximus nos aliqua tantùm ex parte negare ministris nostris missione opus esse, quatenus nimirum non singularis absoluteque necessaria missio, quæ apostolorum horumque similium propria fuit, intelligitur: Sed ea quæ ab Ecclesia fit, rectiusque ordinatio constitutioque, quam missio nominatur, de qua in nodi dissolutione multa diximus, & in hoc libro plura fortassis dicemus; Talem, inquam, ministrorum vocationem in Ecclesiis constitutis fieri debere, non diffitemur, non quòd omninò necessarium sit, sed quòd, ut supra diximus, plurimum & utilitatis & decori ornamentiq;, quod vel in solo ordine cernitur, piorum cætibus adjungat, ut facilè appareat, eos qui hodie respublicas mundanas gerunt, si quæ hîc a nobis dicuntur, audiant, nullam nostri explodendi causam habere. Deinde nego nos unquam dixisse, quemlibet ad libitum docendi munus usurpare posse: contrà autem non nisi illis qui ad eam rem apti sint, hoc concedi, idque non ad libitum, sed ex divini verbi præscriptione, perpetuò inculcare manifestum est. Quod si Smiglecius ne hoc quidem concedendum dicit, idque propter confusionem a se commemoratam, respondeo, istam confusionem in civili republica fortassis metuendam fore, si quilibet ad libitum publica munia administrare velit: At in Christiana republica minimè: propterea, quòd ut suprà docuimus, longè alia civilis atque Christianæ reipublicæ ratio sit. Ex quo fit, ut hoc in civili republica ferri quidem non possit: In Christiana verò, non solùm, a viris divinis feratur: sed summopere etiam approbetur, ut de illis dispersis, aliisque qui citrà ullam missionem, divinum verbum prædicârunt, accepimus. Addequòd & Dominum Iesum talibus adfuisse, scriptum legimus. Quid enim, an ulla confusio ordinisq; perturbatio metuenda est, si illi qui certis ecclesiis præfecti sunt, interdum ab aliis, ad eandem rem accommodatis juventur? Nulla certè hoc ratio suadet. Multò minus autem, si tales divinæ gloriæ studio inflammati, diversis in locis, & sic ibi etiam divinum verbum prædicent, ubi nullus certus fidelium hominum cætus habetur. Adde quod apud illos, qui di-

Actor. 8. 4. 5. Et 11. 19. 20. 21.

vinæ gloriæ unicè studeant, nec arrogantia propriævé gloriæ cupiditas, & ideò nec invidia locum habet, quâ fiat, ut de dignitate inter se dimicent. Adde etiam quòd non ita Ecclesiis præsunt, ut dominentur, ideoque dominandi studio alii aliis sese præferant, aut etiam contemni sese, honoremvé sibi ab illis præripi existiment, qui itidē ut ipsi de gloria Dei amplificanda, & Ecclesia, in quàm optimo statu collocanda laborant, ut facilè Christi discipulos agnoscere, ab antichristique ministris, quibus non Dei, sed propria gloria cura est, discernere possis. Quid quod & auditores, qui veri Christi discipuli sunt, & ideò id unum spectant, ut puram Evangelii doctrinam audiant, sequanturque, nequaquam ita insaniunt, ut eandem doctrinam non nisi tunc sibi amplectendam putent, cùm ab ordinario sibique præfecto ministro proponitur: quando verò ab eo prædicatur, qui quidem ordinatus non est, nec ulli certæ ecclesiæ præpositus, vir tamen & inculpatus est, & salutarem veritatem rectè tenet, reiiciendam existiment: Sunt fortasse qui in republica civili non nisi eos audiendos judicent, qui publicis funguntur officiis, quia nimirum hos solos metuant: attamen nonnulli fortassis reperiuntur, adeò honestatis virtutisque amantes, ut etiam quemlibet virum bonum recta præcipientem audiendum statuant. Magis igitur hoc in Republica Christiana fieri existimandum est, ubi homines fideles, non solum recta ratione suadente, sed spiritu etiam divino præcipiente, alii alios docere ac monere, aliique aliis sese subjicere tenentur. Itaque perspicuum est, nullum hinc confusionis periculum existere, modò tum ministri, tum auditores ii sint, qui esse debent, & porrò nihili facienda esse, quæ Smiglecius hunc in modum subjungit: *Vnum ex duobus, affirmare Arianos oportet; aut ministrorum in Ecclesia officia publica non esse; aut ea minimè licere passim ab omnibus usurpari.* Ex iis enim quæ diximus patet, nos neutrum affirmare teneri, præsertim si posterius pronunciatum ita corrigatur, ut non omnibus simpliciter: sed omnibus ad docendum aptis rectèque viventibus docendi munus suscipere liceat. In his enim duabus rebus ministerii essentiā contineri non semel jam a nobis demonstratum est. Nihilominus tamen Smiglecius hanc veritatem impugnat, dicens: *Ait Volkelius, si minister sit aptus & idoneus ad docendum, & auditores velint illum audire, posse sine alia potestate & missione ministerii officio fungi.* Hîc primò animadvertendum est, Volkelium non solùm aptitudinem ad docendum: sed etiam vitam inculpatam, a ministro requirere. Deinde, nihil eo, quòd Smiglecius hinc concludit, ineptius, tantoque Doctore indignius esse. *Præclarè, sanè,* in-

Col: 3. 16. 1. Petr: 5. 5.

nè, inquit. *Si enim auditores hominem hæreticum audire consentiant, pro pastore lupum, erit, Volkelii sententiâ, & hæreticus legitimus minister.* Atqui mi homo, de eo hîc ministro agi advertendũ erat, qui ad docendum aptus sit. Illum porrò ad docendum aptum esse, & res ipsa indicat, & nos paulò ante ostendimus, qui veritatem salutarem, & rectè tenet, & dextrè apud homines proponere potest. Quod quidem, cùm nulli hæreticorum tribui possit, quippe qui non ad docendum, sed fallendum aptus sit, parumné liquet & Smiglecium nihil ad rem & insuper falsò dicere, ex Volkelii sententia, etiam hæreticum legitimum ministrum, & sic lupum pastorem esse posse. Præterea intelligendum est, Paulum Apostolum, qui istius pronunciati autor est, non speciatim de hac vel illa, & sic etiam hæreticorum ecclesia: sed generatim de Christi ecclesia loqui, nihilq; aliud docere, quàm qualem eum esse oporteat, qui ecclesiæ Dei præficiendus sit. Ex quo intelligitur, non minus & hæc heterogenea doctoq; homine indigna esse, quæ Smiglecius addit, dicens: *Quod si hi ministrum Arianũ audire malint, alii Calvinistam: alii Lutheranum aut Hussitam, nũ omnes isti erunt Legitimi ministri? Nam singuli se idoneos adverbum Dei prædicandum non negabunt.* Respondeo, hîc non quæri, an is qui se ad docendum aptum esse dicit: sed an qui revera talis est, legitimus minister esse possit. Deinde quoniam Lutherani Calvinistæq; cum illis quos Arianos falsò nominat, in salutis fundamento consentiunt, & porrò quicquid dicant alii, unus cætus esse possent, nihil prohibet, quo minus omnes isti, veros legitimosque ministros habeant. Satis quippè ad legitimum ministrum constituendum est, si & veritatem salutarem teneat, & vitam vivat piam, atque honestam, quamvis in aliis, nimirum ad salutem non necessariò pertinentibus, a reliquis ministris dissentiat. Tales enim hæreticos minimè esse ex eo patet, quòd hæreticum esse, & salutarem Christi veritatem, non solùm profiteri: Sed alios etiam ad eandem instituere, adversa fronte repugnant: Is quippè hæreticus est, qui a salutari veritate deficit, eiq; contradicit, ea sequens disseminansque dogmata, quæ Dei & Iesu Christi gloriam obscurant, veram pietatem evertunt, & porrò fidem obedientiamque Deo Christoque debitam prorsus tollunt. Quod quidem istos minimè facere, omnes qui Christianæ religionis naturam tenent, fateantur necesse est. Contrà verò ipsum Smiglecium eum esse, qui unà cum sociis suis salutarem veritatem, non solùm minimè teneat: sed ea etiam proponat dogmata, quæ ad illam prorsus exterminandam maximam vim habent, & sic insignis hæreticus ipse sit, manifestissimum est. Glorietur de sua missione, quan-

ne, quantum velit, nihil apud illos proficiet, qui larvas istas, minimè admirantes, ipsius doctrinā considerant, ad divinique verbi perpendiculū examinant. Quid enim, an is verus legitimusque minister habendus est, qui cultum honoremque soli Deo Christoque debitum ad inanissimas imagines, ad homines mortuos, ad res omni sensu carentes transferendum esse docet? qui Christo unico regi Domino ac capiti Ecclesiæ contra omnem rationem scripturamque, adjungit alterum caput in terris, & quidem caput mirabile, superbum, truculentum, ab illo capite, & animo & moribus non solùm diversissimum: sed omnibus etiam illius institutis maximè contrarium, qui idem hoc caput religioso cultu adorandum, ejus dicta Christi præceptis præferenda, quam vis non verbis, reipsa tamen contendit? Esse enim illud Christi vicarium, quasi verò Christus in divino dominatu suo, quo non solùm corpora: sed animos etiam nostros complectitur, ullum vicarium habere possit: qui denique Christi præceptis partim adulteratis, partim planè relictis, inque ipsorum locum Antichristi traditionibus innumerisque superstitionibus substitutis, omni veræ religioni pietatique eversionem, quantum in ipso est, afferre nititur? Quæ omnia an ab istis, si diis placet, Dei legatis fiant nec ne, cordatorum hominum judicium esto. Valeant igitur præclari isti doctores, cum sua missione ac potestate, quam penes sese esse gloriantur, sciantque tandem nos nequaquam, ita omni sensu orbatos esse, ut potestatem autoritatemque ab illis petendam existimemus, qui ipsi eam minimè habent.

Sed jam ad illa me examinanda confero, quæ Smiglecius pergens hunc in modum nobis opponit: *Quod si in civitate aut repub: minimè liberum est cuique, quem vult, iudicem sibi statuere: Sed illi est communis omnium judex, qui a legitima potestate omnibus præficitur: alioqui, si placito cuiusque pro singulis singuli iudices statuerentur, esset ea ratio maximè expedita, ad omnia iudicia declinanda, & iudices eludendos: quanto minus id in Ecclesia permitti debet, ut is legitimus pastor sit, qui placito uniuscuiusque talis esse censeatur.* Respondeo: Smiglecium principium petere, dum id pro concesso sumit, quod falsissimum est. Præsupponit enim nos dicere aut sentire, unicuique singulisve liberum esse, singulos pastores eligere. Quod cùm secus sese habeat, quis non videt Smiglecium cum sua umbra, ut consuevit, pugnare. Non dicimus nos, singulis concessum esse ministros sibi ad libitum eligere: Sed satis esse eum qui ad docendum aptus est, pieque vivit, ab aliis qui ipsum audiunt, approbari: In-

bari: Intelligimus autem per eos, qui illum audire velint, non singulos homines, quorum quilibet sibi pro arbitratu ministrum comparet, sed universum aliquem hominum cætum, qui uno consensu, ministrum quem omnes audiant, eligit.

At inquit Smiglecius: *non licet communitati, quæ principem superiorem agnoscit, sibi eligere iudicem quē voluerit, nisi ipsius autoritas accedat: talis est ecclesia Dei, quæ Christo Regi subiecta cùm sit, nō potest, nisi eius potestate ministros constituere.* Hîc respondemus fieri posse, ut civitatis superior princeps, non requirat, ut quoties judex eligendus est, ad ipsum decurratur: Sed jam antè certam civibus suis præscripserit regulam, quam in constituendis judicibus, sequi debeant, satisque ex ipsius potestate autoritateque iudex eligitur, si a norma illa, ne latum quidem unguem, discedant. Quod idem cùm & Christus per Paulum Apostolum fecerit, qui qualis homo, quaque ratione ministerii officio præfici debeat, totamque adeò ministerii essentiam luculentissimè explicuit; quis quæso non videt, singulari aliqua potestate missioneque adhanc rem opus minimè esse? sed sat habendum, si Ecclesia ex Christi præscriptione ministrum ordinet, ut & eam factitâsse, superiore scripto nostro demonstravimus.

Instat tamen Smiglecius, & ait: *Etsi homines civilem potestatem ei quē elegerint, conferre possint: tamen non possunt conferre Ecclesiasticam. sed Christi institutioni standum est, ut modo ab ipso ordinato fiant, & constituantur pastores, instituit autem Christus pastores, ut a Deo dentur, & ad suum munus obeundum spiritum S. accipiant.* Respondeo, quæ hîc a Smiglecio dicuntur, ea nullius momenti esse. Præsupponit enim omninò semperq; necesse esse, ut omnes qui in ministerii munere constituuntur, divinam potestatem accipiant, quod probare nulla ratione potest. At inquit. *Christus instituit pastores Ecclesiæ suæ, ut a Deo dentur, & ad suum munus obeundum spiritum Sanctum accipiant, ut non singuli ad placitum cuiusque: sed quos supremi pastores & rectores ecclesiæ constituerint, ubi & Paulus Titum ac Timotheum constituit episcopos, & iisdem ordinavit, ut per omnes civitates constituerent, presbyteros & pastores. Non igitur est in potestate cuiusque pastorem sibi constituere, quia non est cuique integrum, spiritualem officii potestatem pastori suo conferre, sed eam is a Deo vel ab episcopis ecclesiæ acquirere debet.* Hîc tria a Smiglecio dicuntur, quorum nullum, ad id, de quo quæritur, demonstrandum, quicquam virium habet. Primò enim ineptissimè falsoque asserit, Christum instituisse, ut pastores a Deo dentur spiritumque S. accipi-

ant, idque ut quæstionis nostræ status postulat, perpetuò usque ad mundi finem. Cùm enim aliquid in Ecclesia hoc pacto instituere, sit quasi decreto sancire, ut quippiam perpetuò apud Christi fideles fiat: cumque hoc in loco Christum instituisse, ut pastores a Deo dentur spiritumque sanctum accipiant, Smiglecius affirmet, intricatus admodum & monstrosus ipsius verborum sensus existat necesse est, cùm verbum *instituendi*, aut ad Ecclesiam ejusdemque episcopos aut ad Deum referendum sit. si ad Ecclesiam episcoposque, sequitur, Christum ea illi præcepisse, quæ in ipsius manu non sunt, nimirum divinæ potestatis Spiritusque sancti donationem: si ad Deum, multò majus absurdum consequetur, nempe Christum hoc instituendo, Deo quodammodo præcepisse, ut perpetuò Ecclesiæ ministros det, spirituque sancto perfundat. Ita nimirum eos, qui simplici veritati contradicunt implicari oportet, ut nec sese explicare, nec apta verba invenire possint, quibus somnia sua, absque absurditate exprimant. Nec rectè igitur, nec verè a Smiglecio dicitur: Christum Ecclesiæ pastores instituisse ut a Deo dentur Spiritumque sanctum accipiant. In loco enim Pauli, ex quo Smiglecius hoc suum figmentum perperam colligit, nihil tale apparet, nec quicquam aliud Apostoli verbis convinci potest, quàm Deum in primæva illa Ecclesia, post Christi in cælos ascensum, per eundem Christum, varia ista spiritus S. dona, distribuisse, ita ut alios in Ecclesia constituerit Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios patrantes virtutes, alios denique varios morbos sanantes: nequaquam autem, Christum instituisse, ut ista ad finem usq; mundi, in Ecclesia durarent. Si enim instituisset, omninò miraculosa ista ministros ordinandi ratio, etiam num in Ecclesia vigeret. Quod cùm contra esse res ipsa doceat, parumné apertum est, Smiglecium frustrà has rationes subducere? Alterum quod Smiglecius hoc loco asserit, est, non a quolibet posse ministros constitui, ad placitum cuiusque: Sed tantùm, a supremis pastoribus & rectoribus Ecclesiæ, ut & Paulus Titum & Timotheum constituit episcopos, & iisdem ordinavit, ut per omnes civitates constituerent presbyteros & pastores. Quo in loco rursus nobis affingere videtur Smiglecius, quòd sentiamus, singulos ministros, a singulis ad libitum eligi constituiq; posse: cùm tamen nihil longiùs a nobis absit, quàm ita delirare, ut suprà ostendimus. Tertium est, quòd Timotheum a Paulo Episcopum creatum asserit, id autem falsissimum esse, longeque alia ratione eum ad ministerii munus ordinatum fuisse, satis in nodi dissolutione ostendimus pag. 62.

1. Cor. 12. 28.

De Tito

Tit: 1. §1

De Tito porrò nihil aliud scriptum legimus, quam eum a Paulo in Creta relictum fuisse, ut reliqua corrigeret. Ex quo quidem nequaquã convincitur, Titum tum demum, idque a solo Paulo, ordinatum fuisse: cùm nihil vetet, quominus eum, post quam itidem ut Timotheus, presbyterii Ecclesiæque suffragio, minister factus esset, a Paulo in Creta relictum fuisse intelligamus. Quod verò Timotheus Titusque oppidatim pastores constituerunt, id quidem Smiglecii causam nihil juvat, cùm id, quemadmodum in nodi dissolutione demonstravimus, non nisi hoc pacto fieri potuerit, ut isti viri primarii Ecclesiæ, ad ministros creandos autores extiterint. Plebem enim pastores elegisse illisq; testimonium tribuisse satis superq; ibidem docuimus: pag: 34, 35, 36, 37.

Nec scriptum legimus, illis ministris, quos Titus Timotheusque consentiente plebe, constituerunt, spiritum sanctum datum esse: nec si maximè extaret, quicquam ad rem faceret, cùm hîc non quæratur, quid olim vigentibus adhuc miraculis, factum fuerit. Sed quid hodie, fiat, fieriq; necesse sit. Pergit Smiglecius, & ut nos, qui nullam spiritualem potestatem ministrorum agnoscimus, errare convincat, aliquot potestates, quæ ministris insint, enumerat. Nam & animarum, & obligandi conscientias, & puniendi, & nova præcepta imponendi, & eucharistiam conficiendi potestatem eos habere dicit. Quod quidem an ita sit, videndum nobis est. Primò igitur, ministros potestatem animarum habere, nusquam scriptum legimus: nec ulli eam tribui posse, nisi qui divinum imperium in homines habeat, manifestum est, quippe cujus solius ea vis sit, ut per illud non tantùm corporibus, sed animabus etiam nostris jura legesque præscribantur, idque ab eo qui corda & renes scrutatur, veluti est solus Deus, ipsiusque filius Iesus Christus. Quid igitur in mentem venit Smiglecio, ut potestatem Dei Christique propriam, ad homines transferret. At inquit: *Ministri vigilant tanquam rationem pro animabus reddituri.* Rectè. Atqui aliud est, quempiam animarum potestatem habere: aliud vigilare, tanquam rationem pro eis redditurum. Vigilare enim istud non in potestate aliqua exercenda: sed in diligenter docendo, monendo, exemplisque prælucendo situm est, planeque hic divinus autor idem dicere censendus est, quod a Paulo 1. Tess: 5. 12. dicitur, *Rogamus vos fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant in vobis, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos, ut eos habeatis in summo precio cum charitate propter opus ipsorum.* Cùm enim labor, quem ministri in nobis docendis admonendisque consumunt, ad animarum salutem spectet, idcircò hoc faciendo, pro animabus nostris

vigilare, & si ipsorum negligentiâ fiat, ut animæ nostræ non serventur, rationem pro illis reddituri dicuntur. Id quod cum ficta ista potestate nihil conjunctum habere nemo non intelligit, eoque magis, quod Iacobo teste, etiam quivis, quantumvis minister non sit, modo errantem in viam revocet, animam a morte liberat, nec tamen animarum potestatem habere rectè dici potest. Iacob:5.19,20.

Iam quod ad potestatem obligandi conscientias attinet, ait Smiglecius, eam ex eodem testimonio intelligi, quippe in quo ductoribus nostris obtemperare jubeamur. Sed longè fallitur, cùm in obediendo pastoribus, non aliqua eorum potestas, sed hoc solùm spectetur, quòd in Dei Christique verborum explicatione, nobis præeunt, ad eorumque tùm intelligentiam nos instituunt, tùm executionem hortantur. Smiglecius verò, ut hanc potestatem, ministros habere planè ostendat, addit eos, non solùm Christi præcepta auditoribus tradere: Sed etiam ea, quæ ad rectum ordinem & gubernationem spectant, Ecclesiæ imponere jure posse. Respondeo Smiglecium hîc aut de Apostolis horumq; sociis loqui: aut de hodiernis ecclesiæ ministris: aut de utrisque verba facere. Si de Apostolis loquitur, nihil ad rem dicit, cùm eorum doctrinæ institutionesque omnes Christo ipsiusque instinctui adscribendas esse nemo dubitet, ita ut tàm ea, quæ ad bonum ordinem tradita ab illis sunt, quàm alia præcepta Christi doctrinæ nomine insignantur. Si de hodiernis ministris sermonem habet, facilè quidem concesserim, eorum officium esse, fideles admonere, ut & Christi præcepta quæ ad mores, & quæ ad bonum ordinem spectant, ab Apostolisq; literis mandata sunt, quoad Christianæ religionis fert natura, retineant, sequanturque: At novas pro suo arbitrio institutiones eos Ecclesiæ imponendi potestatem habere, nulla ratione comprobari potest: quanquam non diffiteor, non ministri singulari aliqua potestate: sed universæ ecclesiæ consensu ea institui posse, quæ nec in divinis literis interdicta, nec interdictis similia sint, nec temeritatis argumenta contineant, nec ullam superstitionis speciem habeant. Qua de re, in nostro de vera religione libro uberrimè disputatur. Si denique de utrisque Smiglecius loquitur, jam satis ex modò dictis constat, hoc a vero abesse, cùm eandem, hac in parte, ministrorum nostrorum, & apostolorum rationem esse, probari non possit.

Smiglecius tamen ut suam sententiam confirmatiorem reddat, dicit, *Ministros habere potestatem, non solùm illam æternam a Deo infligendam pœnam, denunciandi: sed etiam temporales irrogandi.* Quod quidem aliquot

aliquot scripturę testimoniis confirmare nititur. Primò affert illa Christi verba Matth: 18. 17. *Si ecclesiam non audiverit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Atqui intelligendum est, hîc non de ministri, sed universæ Ecclesiæ potestate verba fieri, quam in homine pœnitere nescio, declarare debet. Quàm rectè igitur hîc Smᵍ argumentetur, ipse viderit. Ego certè nihil hac argumentatione ineptiùs esse puto: *Dominus Iesus ecclesiæ præcepit, ut talis homo excommunicetur. Ergo Ministri habent potestatem carnales pœnas infligendi.* Cùm enim minister non ecclesia, sed ecclesiæ pars sit, meminerit Smiglecius, non statim parti convenire, quod convenit toti. Non enim, verbi causa, quia homo ambulat, ideo & caput ambulat.

Iam ad Paulum quod attinet, qui & illum Corinthum incestuosum, & Hymenæum, & Alexandrum Sathanæ tradidit, animadvertendum est, istam potestatem singularem, miraculosam, Apostolorumque propriam fuisse. Quod idem & de Petro, Ananiæ Zaphiræque præsentem mortem denunciante, sentiendum est. Concessa quippe fuit hæc potestas Apostolis in ipso ecclesiæ primordio, ut & cælestis veritas confirmaretur, & homines intelligerent, quantum periculum esset, divinæ veritati agnitæ, contradicere, vel impiè vivere, vel contumaciter divinis monitis resistere, vel religionis studio fallaciter assumpto, pietateque simulata & composita Deo quasi illudere. 1. Cor: 5. 4, 5. 1. Tim: 1. 20. Act: 5. 3, 4, 5, 9, 10.

Iudicium quoque quod Paulus sibi tribuit, non ad ipsum solùm: sed ad totam Ecclesiam spectat, ut ex his illius verbis patet: *Nonné de iis qui intus sunt, vos judicatis?* Iudicium autem ab ipso commemoratum erat; cum illo, qui fratrē sese nominabat, interim verò impiè vivebat, ne cibum quidem capere, ut ipse contextus indicat. Quod quidem a solo ministro fieri aut debere aut posse, nemo sanus dixerit. Adde quòd nec incestuosi excommunicatio a solo Apostolo, facta est: sed a tota ecclesia, ipso tamen cohortante, congregata, quamvis miraculosam Sathanæ traditionem, cum excommunicatione illa conjunctam, ad Paulum potissimùm referendā esse, ut vult Smiglecius, facilè concesserim. Quæ cùm ita sint, quis non videt, Smiglecium frustrà laborare ut hodiernis ministris singularem quandam divinamque potestatem habere, vel ut habeant, necesse esse doceat? At inquit, *Si in Republica magistratus delinquentibus solùm pœnam æternam proponeret, nec eos temporalibus pœnis afficeret, quis non intelligit, quam parum ea res, ad homines a flagitiis avocandos valeret, & quàm multa omnis generis mala, ex ea impunitate*

punitate & licentia nascerentur : idem planè cogitandum de ecclesia, si ea quæ a fidelibus delinquuntur, impunita manerent. Respondeo, hæc partim dissimilia esse, partim nihil ad rem pertinere. Dissimilia, quòd nec ministri magistratus officio in ecclesia funguntur, cùm non ita præsint, ut dominentur. Deinde quòd in ecclesia hodierna, ejusmodi pœnæ, quæ in civili Republica sceleratis hominibus constitutæ sunt, locum non habent. Contenta quippe est vera Christi ecclesia, illis disciplinæ gradibus, qui ipsi a Christo Apostolisque generatim communiterque præscripti sunt, & extra hos, quasi limites, progredi nefas esse ducit. Quòd si Smiglecius dicat, collationis suæ vim, non in istis rebus quas commemoramus esse: Sed eam verborum suorum mentem esse, ut quemadmodum in civili Republica mali puniendi sunt: ita & in ecclesia, quocunque tandem modo id fiat, agendum esse. Respondeo, ut secundo loco dixeram, id ad rem nihil facere : cùm hîc non quæratur, an delinquentes in ecclesia puniendi sint, sed an hoc singulari quadam potestate, quæ penes solum ministrum, & nequaquam ipsi cum reliquis ecclesiæ membris communis sit, fieri debeat. Quod quidem aliter se habere satis jam ostensum est.

Potestatem porrò novas leges præceptaque nova imponendi ministros habere, ex eo patere ait, quod ipsorum sit proprium, ecclesiam regere. Atqui, cùm satis is Christi oves regat pascatque, qui solam ipsius legem doctrinamque proponit, ad eamque sequendam illas subinde monet, parumné liquet, Smiglecium hîc suo more, pessimè argumentari.

Iam quòd attinet ad Apostolorum præcepta institutaq; de non obedientibus separandis, de matrimonio fidelis cum infideli, de Episcopis, diaconis, de mulierum silentio, de suffocato sanguine, simulachrorum immolatis, similiter, ad præsentem quæstionem nihil pertinent: Cùm hîc non quæratur an Apostoli, qui primæ ecclesiæ fundatores fuêre, Christi instinctu, præcepta tùm ad mores, tùm ad ordinem decusque ecclesiæ pertinentia, potuerint tradere, cùm hoc in dubium vocare, nihil aliud sit, quam de ipsa Christi (cujus illi personam gesserunt, ideoque in iis quæ docuêre errare non potuerunt.) doctrina ambigere: Sed quæstio est, an hodierni ministri novas leges præceptaque nova ipsi per se ecclesiæ imponendi potestatem habeant. Quod nisi probaverit Smiglecius nihil aget.

Addidit hoc in loco Smiglecius quædam alia, tùm de missione, tùm de Diabolo, tùm de Petri fide, Cathedra, & privilegio, pontificumque suc-

que successione. Quæ omnia cùm infra ab illo repetantur, ipsius ταυτολογίαν sequi nolumus, præsertim cùm suo loco multò commodius refutari possint. Pergo igitur ad quintum caput.

Caput V. Cujus inscriptio est:

Ariani ad Eucharistiam conficiendam nullam in ministro potestatem requiri nugantur.

IN hoc capite Smiglecius, quædam a nobis dicta dissimulat: quædam verò refellere conatur. Illa autem reticuit, quæ maximè suæ causæ officere videbat. Demonstraveramus enim cœnæ domini, aliorumque sacramentorum, quæ vocat, administrationem, nec Apostolorum proprium munus esse: nec necessariò requiri, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens, reliquis cœnam Domini dispenset. Dixeramus & alia multa, quæ adversariorum sententiam falsitatis luculentissimè convincunt. Quæ cùm Smiglecius preterierit, lectorem ad ea remittimus. Iam ut de illis, quæ refutare voluit, videamus, primò dixeramus, nequaquam opus esse, ut aliqua ex ministri persona, sive dignitas, sive vis cælestis, sive mutatio, ad cœnæ Domini actionem redundet: & quicquid eâ vel sanctitatis vel mutationis continetur, id omne non ad ministri personam, sed ad divinam institutionem referendum esse. Dixerat hæc eadem anonymus: Verùm Smiglecius nec in suo nodo, nec in hac sua refutatione quicquam ad ea convellenda attulit. Sed responsionis loco, suo more in calumnias convitiaque prorupit; Dicit enim, nos hoc, quod vocat sacramentum, omni dignitate & præstantia a Christo còncessa spoliare. Quod quidem per summam calumniam in nos confert: cùm nos nequaquam dicamus cænam Dominicam, nullam dignitatem, nullam sanctitatem habere: sed quicquid dignitatis sanctitatisque habet, id ad divinam institutionem referendum esse.

Instat tamen, & ideò sese hoc in nos dicere ait: *quòd Christus omnes suæ bonitatis opes, unâ cum corpore & sanguine suo, ad animas nostras vivificandas, & incredibilem suum in nos amorem testificandum, miro, sed vero modo nobis reliquerit: nos verò præter simplicem mortis Dominicæ commemorationem & repræsentationem, nihil huic sacræ actioni concedere.* Respondeo, hîc Smiglecium id petere, quod in disquisitione positum est. Nunquam enim probabit, Christum in cæna sua, omnes suæ bonitatis opes, corpus sanguinemq; suum reliquisse. Cùm nec istius rei

ullum,

ullum, in hac cænæ Domini institutione, vel tenuissimum vestigium appareat: nec ulla alia ratione, ita ut dicit esse, demonstrari possit: Contrà verò quod nos dicimus, disertissimis Christi Pauliq́ue Apostoli verbis, contineatur.

Pergit Smiglecius, & nostram de Christi verbis, *hoc est corpus meum*, sententiam ponit. nosq́ue ea ita exponere ait, ac si Christus dixisset, *Hæc actio frangendi & manducandi panis huius, est commemoratio & adumbratio quædam eius, quod corpore meo futurum est; & hæc actio fundendi & bibendi hujus vini commemoratio & præsentatio quædam est, quid sanguine meo fiet: ita ut fractio panis Christi corporis in cruce fractionem: & fusio vini effusionem sanguinis Christi in cruce repræsentet, scilicet particulam* hoc, *nec ut Calviniſtæ & Lutherani, referunt ad panem, nec ut Catholici ad corpus Christi, sed ad actionem frangendi & manducandi.* Rectè nostram sententiam percepisti Smigleci: sed hoc rectum minimè est, quod præjudicata opinione excæcatus, rei tam manifestæ anteq́ue oculos positæ contradicere non dubitas: cur non potiùs eam refutas, quàm præter omnem sanæ mentis rationem, tuorum Catholicorum somnium nobis opponas. Hoccine est disputare, adversariumq́; convincere? non repulsa nimirum ipsius assertione, suam afferre. Vbi porrò divinis literis proditum est, divina, ut ais, potestate ministris opus esse, qua efficiant, ut *quæ antè panis & vinum erant, verborum Christi admiranda veritate & potestate, corpus & sanguis Christi efficiantur, eo fine, ut & animæ nostræ, tam salutari cibo & potu reficiantur, & habeamus quod Deo, pro salute nostra in sacrificium offeramus, eaq́ue ratione, mortis Dominicæ commemorationem faciamus?* Hæc, inquam, omnia, volumus nobis divinis testimoniis probari. Quod quidem nunquam faciet Smiglecius, cùm & altissimum, hac de re, scripturæ silentium, & rei, quam hîc somniat, impossibilitas, ut infrà suo loco demonstrabimus, hoc fieri nequaquam permittat.

Dicet fortè, se minimè asserere, id literaliter in scripturis extare, sed ex his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, colligi posse. Atqui istam consequentiam vitiosissimam esse, ipse Smiglecius in libri sui pag: 11. non obscurè ostendit, cùm eadem Christi verba, *Hoc est corpus meum*, aliter a Catholicis, aliter a Calviniſtis, aliter denique ab Arianis accipi dicit: quamvis isti omnes suam sententiam Apostolicam prædicent. Ex quo saltem hoc intelligi potest, longè aliam ob causam Christum sic loqui potuisse, quàm quia corpus suum revera realiterq́ue in Eucharistia existere vellet. Refellat Smiglecius sententiam nostram: Repellat Cal-

lat Calviniſtarum argumenta: oſtendat ſuam de his verbis opinionem, nec abſurdum eſſe, nec aliis ſcripturæ teſtimoniis contrariam, & conſequentiam ſuam conſtituet. Qua de re plura in quarto demonſtrationis examine dicemus.

Pergit Smiglecius & hunc in modum argumentari videtur:

Quod Chriſtus ſe in cæna ſua dare faſſus eſt, id dedit.

Atqui corpus ſuum ſe in cæna dare faſſus eſt.

Ergo corpus ſuum dedit.

Minorem his verbis probare nititur: *nemini enim*, inquit, *dubium eſſe poteſt, quin hæc verba, de eo pronunciaverit, quod manibus tenebat & porrigebat Apoſtolis, & ab ipſis manducari & bibi volebat. Senſus enim eſt: hoc quod vobis exhibeo, & ut manducetis porrigo, eſt corpus meum.* Reſpondeo primò, audacter hîc a Smiglecio dici, nemini dubium eſſe poſſe, quin hæc verba ad id, quod Chriſtus manibus tenebat, pertineant: cùm ſatis ſit, nos, quibus cum Smiglecio res eſt, hoc quod dicit, in dubium vocare, atque adeò prorſus negare. Quod quidem meritò nos facere, ipſa verborum conſtructio docet. Quia enim particulâ *Hoc*, ad rem, quæ hęc Chriſti verba præceſſit, referendam eſſe, omnis ratio ſuadet, ut nimirum intelligatur, quid ſit id, quod Dominus tunc fecit: id autem nihil aliud fuit, quàm panis acceptio fractio datioque ad comedendum; Parumné igitur liquet, perinde eſſe ac ſi dixiſſet Dominus: *Hoc accipere, frangere, comedereque panem, eſt corpus meum.* Deinde ſi vera hîc Smiglecius loquitur, neceſſe eſt, Chriſtum ſuum ipſius corpus in manibus habuiſſe, diſcipulisque dediſſe, quod & abſurdum eſt, cùm nemo ſuum corpus in manibus habere poſſit: Et Chriſti corpus, cùm hæc verba faceret, totum ſalvumque, & ſic nec fractum, nec datum, nec corruptum menſæ accumberet. Quid quòd apertè non quidem corpus ſuum, ſed panem eum accepiſſe in manibusque habuiſſe, ibidem dicitur. Potiùs igitur, ſi modò, & verborum conſtructio, & cænæ Dominicæ ſcopus permitteret, particula *Hoc*, ad panem, idque ex ipſius Smiglecii ſententia quam ad corpus referenda eſſet. Atqui verborum conſtructionem hunc ſenſum non ferre, ex eo patet, quòd pronomen *Hoc*, tàm in græco, quàm in Latino, non maſculini, ut panis, ſed neutrius generis eſt. Quid quòd Chriſti mortis repræſentatio, commemoratio, adumbratio, & annunciatio, quæ actionis iſtius finis ſcopusque eſt, toto illo, quod tunc Chriſtus peregit, peragique juſſit, negotio continetur, & ideò corpus Chriſti, ejusdem rei ratione, meritò ab ipſo nominatur. Fruſtrà igitur ſubjungit Smiglecius: *Non actionem frangendi & manducandi*

candi illis ad manducandum dedit, sed id quod manibus tenebat. Rectè: at non corpus suum, sed panem manibus tenebat. Ergo non corpus, sed panem ad comedendum dedit. Qua de causa, ut in nodi dissolutione docuimus, illud quod Christus discipulis comedendum dedit, perpetuò in ipso etiam cænæ ipsius usu, panis dicitur. Atqui dicet Smiglecius: *Id quod manibus tenebat, suum corpus nominavit.* Respondeo, jam a me demonstratum esse, rem aliter se habere, & ideò non solum panem datum comestumque: sed acceptum etiam & fractum, Corpus Christi ea, qua diximus, ratione esse.

At inquit Smiglecius: *Particula* enim, *indicat, hîc Christum corpus suum Apostolis comedendum dedisse, quippe quæ rationem contineat, cur manducari debeat.* Hoc verò falsissimum est, cùm vox *Enim*, neque apud Paulum, neque ullum Evangelistarum habeatur, ut mireris hominum istorum impudentiam, qui dummodò commenta sua stabiliant, etiam scripturam adulterare non dubitant. Iam quod de calice loquens Smiglecius, in voce *Hic*, philosophatur, ut non actionem fundendi bibendique eâ significari ostendat, nullius momenti est. Nam calix non simpliciter hoc in loco commemoratur: sed quatenus eum Christus similiter accepit, dedit, exque eo omnes bibere jussit: id quod citra infusionem fieri nequaquam potuit: quod etiam ipse Smiglecius infra fateri videtur, cùm verba, *qui pro vobis effunditur*, realem Christi sanguinis effusionem, in cæna declarare, quantumvis falsò, ut demonstravimus, contendit: ut facilè appareat, calicem unà cum omnibus ad ipsum pertinentibus, in sacra hac actione considerari, præsertim cùm *novum testamentum* dicatur *in Christi sanguine*, quia nimirum ut suo loco demonstrabimus, Christi sanguinis fusionem adumbrabat, quâ novum fœdus obsignatum est. Quo in loco observandum est, non ex ea parte calicem novum fœdus dici, quatenus Christi sanguinē simpliciter: sed quatenus ejusdem sanguinis effusionem nobis ab oculos ponit. simplex enim Christi sanguis, absque effusione, novum fœdus nequaquam confirmâsset. Ex quo apparet, particulam *Hic*, quam Smiglecius urget, nequaquam totam calicis actionem excludere: sed perindè esse, ac si dictum fuisset: *hic calix, in quem vinum infusum est, quemque ego vobis do ad bibendum, est novum fœdus in sanguine meo, pro vobis mox effundendo, in remissionem peccatorum.*

Adduxeram in nodi dissolutione similem loquendi modum, ex Ezechiele: ubi Deus jubet prophetam illum capillos barbamque suam tondere, pilosque tùm ponderare, tùm partim comburere, partim gladio disse-

Ezech: 5.

dio dissecare, partim in ventos dissipare, partim denique in summitate pallii ligare, ejicereq; & dicere: *Hæc dicit Dominus, ista est Hierosolyma.* Vbi nemo non videt, nihil aliud his verbis indicari, quàm quid mox de Hierosolymitanis futurum esset; similiterq; de his Christi verbis, *Hoc est corpus meum,* sentiendum esse, ut ipsa res ipseque cænæ Dominicæ scopus ostendit.

Quid ad hæc Smiglecius? *Nihil agit,* inquit, *Volkelius. Nam Christi verbis res determinata ostenditur, quam pronunciat esse suum corpus, nempe illam quam manibus tenebat, ad manducandum & bibendum Apostolis porrigebat. Non possunt igitur aliò Christi verba referri. In loco verò Ezechielis nulla alia res ostendebatur, ad quam illa verba: Ista est Hierosolyma, referri possint, nisi ipsæ actiones Ezechielis, quocirca ad illas actiones referuntur, & eo modo, quo actionibus accommodari possunt, intelliguntur. Quare non modum loquendi negamus; sed negamus eum accommodari posse præsentibus Christi verbis.* Respondeo ipsum Smiglecium nihil agere, cùm jam ostenderimus, Christi verba ad unam tantùm cænæ ipsius determinatam partem referri non posse: sed ad totam actionem, quæ mortis ipsius adumbratione, & commemoratione continetur, respicere. Christo namque hanc cerimoniam instituenti, propositum erat, mortis suæ, tùm modum imaginemque, tùm usum ante oculos suorum constituere. Ac modum quidem panem accipiendo frangendoque, & vinum in poculum infundendo expressit: Vsum verò panem ad comedendum, poculum verò ad bibendum porrigendo adumbravit. Voluit quippe hoc suo facto ostendere, post suam mortem illud exitu completum iri, quod Ioan: 6. 51. de carne sua spiritualiter comedenda, sanguineque bibendo dixerat: nimirum fore, ut post corporis sui fractionem, sanguinisque effusionem, id est, ut uno verbo dicam, postquam & per mortem in suam gloriam intraret, nostrique servandi summam potestatem acciperet, nos inde tantum spei fideique conciperemus, ut haud aliter, ac cibo potuque confirmati, ad omnia Christi præcepta conservanda aptissimi essemus. Itaque perspicuum est, ut Ezechielis verba, nempe, *Ista est Hierosolyma,* ad totam illam actionem, quâ ad Hierosolymitanorum supplicium adumbrâdum adhibuit, pertinebant: ita hæc Christi verba ad totum negotium, mortis ipsius repræsentandæ causâ susceptum, referri debere: nec ullam, ea in re de qua agitur, inter utrumque scripturæ locum dissimilitudinem esse.

Quod cùm ita sit, consequens est, & illa falsissima esse, quæ postmodum Smiglecius de illis Mosis verbis: *Est enim Phase Domini,* in me-

dium affert: nimirum, *hanc inter illa hocque Christi pronunciatum differentiam esse, quòd hoc non ad cænæ Dominicæ ritum spectet: sed necessariò ad id referendum sit, quod Christus porrigebat Apostolis: Illa verò Mosis verba ad ritum comedendi agnum pertineant, & ideò commemorationem & adumbrationem significent.* Hæc, inquam, a vero alieniſſima ſunt, cùm ut demonſtravimus, & ipſa verborum conſtructio, & negotii iſtius ſcopus, ad totam cænæ Dominicæ actionem reſpiciat.

Pergit Smiglecius, & ait: *Iam verò, quod maximè urget Volkelius, non posse commemorationem Christi cum præsentia eiusdem in Eucharistia, consistere, quòd rerum absentium non præsentium commemoratio fiat: id in tantum futile est, ut nullam planè vim habeat, duplici ex causa. Primùm quòd ea commemoratio, ad quam faciendam hoc sacramentum est institutum, Paulo docente, est commemoratio mortis Dominicæ. Ea verò absens est proculdubio, semel enim Christus, idque in cruce mortuus est, quidnî igitur possit in hoc sacramento commemorari? Nam & filius ad sepulchrum parentis sui, corpus præsens considerans, ad memoriam ipsius antè mortui, majore quadam vi commovetur. Et nos præsens Christi corpus & sanguis magis excitat, ad memoriam mortis ipsius, 'pro nobis obitæ, quàm si absens animo fingeretur.* hæc Smiglecius. Reſpondemus autem cum hæc proferendo ſuam cauſam non ſolùm non conſtituere, ſed prorſus etiam infringere, noſtram autem, quantumvis invitum, mirum in modum confirmare. Nam & mortem Chriſti a cæna Dominica abeſſe, & eandem abſentem commemorari ipſe fatetur, & nihil ſolidi, quo etiam præſentia commemorari probetur, affert. Nec quicquam ad propoſitum facit exemplum filii, præſens patris mortui corpus, ad ſepulchrum conſiderantis, ut nimirum magis ad ipſius mortis memoriam incitetur. Primò quia hoc pacto, non res præſens, quæ eſt patris cadaver: ſed res abſens, nimirum ejusdem mors commemoretur. Deinde quòd inter memoriam Chriſti mortis, (quæ ſemper, & ſic non in ipſius cæna tantùm, in animis noſtris hærere debet) & ſolennem ejusdem commemorationem, ſeu, ut Apoſtolus loquitur, annunciationem, plurimùm intereſt. Tertiò, quòd hoc loco non quæritur, an corpus ſanguiſque Chriſti præſens, magis nos ad commemorationem Chriſti mortis excitet; ſed an commemoratio præſentium & non potiùs abſentium fiat? Poſtremò, quòd nequaquam probari poteſt, ita nos in cæna Domini, ipſius corpus præſens ſanguinemque præſentem conſiderare, ut puer, præſens patris cadaver conſiderat. Pudeat igitur Smiglecium, qui nobis futilitatem objecit, dum ipſe futiliſſima loquitur.

Sed re-

Sed reprimo me, & ad alteram ipsius rationem accedo, quæ hujusmodi est: *quia cùm res præsens est invisibilis, sed aliquo signo præsentiæ indicata, potest præsens, veluti absens commemorari.* Respondeo, nihil futilius a Smiglecio dici potuisse, cùm ipsum rectæ rationis judicium dictet, rem, quocunque tandem modo præsentem, commemorationem minimè admittere, dummodò eam revera præsentem esse constet, ut quidem de Christi corpore sanguineque illi affirmant, illud nimirum, realiter in cæna existere, manibusque palpari, ore comedi, hunc infundi ac bibi. *Atqui*, inquit, *sensibus nostris absens est.* Respondeo, nihil refert, modò reipsa præsens adsit, quanquam hîc Smiglecius suo sese gladio jugulat, evidentissimeque contra seipsum demonstrat, Christi corpus sanguinemque nequaquam in cæna realiter adesse. Quia enim sensus nostri, non Christi corpus sanguinemque, sed panem vinumque percipiunt, cui quæso, nisi insano, Smiglecius persuadebit, corpus sanguinemq; Christi realiter in cæna esse comedique ac bibi? Præsertim cùm ita esse non solùm recta ratio neget: sed nullo etiam divino testimonio probari possit. Itaque vanissimum est, quod fide, ita sese rem habere, comprehendendum esse, postmodum ait: cùm fides non nisi divino verbo niti debeat. Rectè quidem creduntur, quæ non videntur, sed non nisi tunc, cùm eorum veritas ex divinis oraculis cognoscitur. Nec admittendum, quod dicit Smiglecius, *quemadmodum ea creduntur, quæ non videntur, ita & commemorari posse:* cùm alia sit ratio fidei, alia commemorationis. Fide quippe tam præsentia, quàm absentia complecti possumus, commemoratio verò non nisi absentia spectat. Nec ullo rationis scripturævé præsidio contraria sententia confirmari potest. At inquit: *Ex specie illa columbæ atque linguarum ignitarum spiritus S. præsentia agnoscebatur, & ex rubo Deus in eo præsens credebatur.* Respondemus hîc nec de fide, nec de agnitione, verba fieri: sed de commemoratione eaq; solenni, qua, tanquã in festo, Christi mors celebratur & annunciatur. Fuerit igitur credita agnitaq; spiritus sancti, ipsiusq; Dei præsentia in rebus memoratis, quid quæso hoc, cum ista commemoratione, publicavé Christi mortis celebratione conjunctum habet? quam ad rem, ipso etiam Smiglecio teste, absentem pertinere manifestum est.

Pergit Smiglecius. *Sanè*, inquit, *si figurata locutione, ut Calvinistæ sentiunt, Christus uti voluisset, vocando Eucharistiam suum corpus, quòd esset signum corporis sui, eam procul dubio explicuisset, cum & inusitata esset & obscura.* Respondeo, hîc Smiglecium dupliciter labi. Ea enim dicit, quæ partim nullo consecutionis vinculo connexa sunt, partim

manifestè falsa. Ac illud quidem sic argumentando: Christus figuratam istam locutionem non explicuit. Ergo ea usus non fuit. cùm plurimæ hujus generis locutiones, tùm ab aliis, tùm ab ipso Christo, absque ulla explicationis additione usurpatæ reperiantur: veluti est illa: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Cujus modi sunt & illa Christi pronunciata, quibus se *viam, veritatem, vitam, ostium, lucem mundi*, Ioannem baptistam *lucernam ardentem*, & suos fideles *salem terræ* nominat, ut alia multa, utpote omnibus nota præteream. Ex quo facilè apparet, istam etiam consecutionem ineptissimam esse: Quibusdam in locis additur figuratæ locutionis explicatio. Ergo ubiq; hoc fieri necesse est. At inquit Smiglecius, *nisi hoc fiat, erit erroris occasio.* Respondeo ejusmodi occasiones, sine ulla expressa explicatione, sanamentis humanæ ratione, vitari posse, eoque magis, si scripturæ lumine sit collustrata, ejusdemq; Analogiam sequatur. Sic enim facilè animadvertet, an scriptura ad literam intellecta, absurditatem, repugnãtiam cum aliis ejusdẽ testimoniis, aut facinus aliquod immane contineat, & porrò Augustino præclarè monẽte, nullo negotio, errorẽ cavebit.

Mat: 5. 29, 30. Mar: 9. 47. Ioan: 14. 6. & 10. 7. & 8. 12. & 5. 35. Mat: 5. 13.

Iam ut de hoc altero videamus, nimirum Smiglecium falsò dicere, Christum figuratam istam locutionem non explicuisse, quam quæso, aliam ob causam, eum hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem*, seu, ut Paulus loquitur, *mortis meæ annunciationem*, addidisse volumus, nisi ut significaret, cur sacrum istud negotium, suum corpus sanguinemque vocaverit. Qua de re, cum satis jam a nobis dictum sit, nolumus actum agere.

Dicit præterea Smiglecius, nos verba illa Pauli: *Calix benedictionis, cui benedicimus*, absurdè exponere, dum *calici benedicere*, nihil aliud esse asserimus, quàm accepto calice Deo gratias agere. At ipse multò absurdius loquitur, quippe qui contra omnem veritatem, & Apostoli mentem dicat, Apostolum hîc docere, ministros calici benedicendo efficere, ut fiat sanguis Christi. Quinimò, quomodo Smiglecius hîc impudentiæ crimen effugere possit, non video, cùm in nodi dissolutione, ipsius interpretationem, non solùm nullo sacro testimonio comprobari posse: Sed etiam scripturæ adversari ostendimus. Quid quòd nostram hac de re sententiam in divinis literis contineri, Chrisostomumque & Theophilactum, nec non magnum illum Erasmum idem vidisse, tam evidenter demonstravimus, ut Smiglecius, ne verbum quidem respondere potuerit. Quocirca lectorem ad responsionem remittimus, Smiglecium que monitum volumus, ut nostris non refutatis, sua

tis, sua jam prostrata, atque explosa, per summam impudentiam, obtrudere desinat.

Verùm ne prorsus iniquè cum eo agere videamur, non dissimulabimus, cum aliquid tamen hîc dicere videri. Ait autem. *Volkelius non alio argumento suam sententiam probat, nisi, quod verba græca* benedicendi, & gratias agendi *confundantur, & pro eodem sumatur. At non videt homo hæreticus, licet ea verba, si absolutè sumantur, ad Deum referantur, pro eodem sumi possint, quòd Deum tunc benedicimus cùm ei gratias agimus: tamen cùm ad panem vel calicem, vel alias similes res referuntur, eo ipso significatione distingui necesse est. Nam ut rectè dicitur, nos pani vel calici benedicere, ita non nisi ineptè dici potest, nos pani vel calici gratias agere. Annè cum Christus quinque panibus benedixit, & eos multiplicavit benedictione, Luc: 9. 16. gratias illum panibus egisse censebit Volkelius? Quemadmodum igitur, cùm panibus illis quinque benedixit, suam divinam illis benedictionem impertiit & effecit, ut multiplicarentur: ita & in Eucharistia, cùm pani & calici benedixit, fecit illa corpus & sanguinem suum, & idem faciendum Apostolis & eorum successoribus præcepit. Quocircà, calici benedicere, non est solùm accepto calice gratias agere: sed est ipsi calici benedictionem & consecrationem impertiri.* Videtur hîc, inquam, Smiglecius aliquid respondere: sed revera nihil respondet. Primò enim in nodi dissolutione dixeramus, Smiglecium negare non posse, benedictionem istam non solùm ad calicem, verùm etiam ad panem pertinere. Aliâs enim secundùm ipsius sententiam, tantùm vinum in Christi sanguinem mutaretur, nequaquam autem panis in Christi corpus. Deinde docueramus ipsum Christum hanc cerimoniam instituentem, primò benedixisse, post panem fregisse, poculoque accepto gratias egisse, ut facilè appareat, Paulum per verba *calici benedicere*, idem intellexisse, nisi eum a Magistri sui institutione discessisse, & ideò falsò sese ecclesiæ tradere, quod ipse a Domino acceperit, dixisse volumus. Patet igitur verbum *benedicendi*, ad eandem cerimoniam, respectu habito, idem significare, quod gratias agere: Cùm jam Christum accepto poculo gratias egisse, jam nos illum sequentes poculo benedicere, scriptum legamus. Hæc Smiglecio refutanda erant. Quod cùm non solùm non faciat, sed etiam concedat, verbum *benedicere*, cùm ad Deum refertur idem significare, quod gratias agere, quis non videt, eum causâ suâ cecidisse? Nam quòd verbum *Benedicere*, aliud designare ait cùm ad Deum, aliud cùm ad panem calicemque refertur, ipsa futilitate futilius est, cùm in hoc negotio, ista utriusque locutionis distinctio, nul-

ctio, nullum locum habeat, propterea, quòd quicquid in sacra ista cerimonia peragitur, non nisi ad Deo, per Christum gratias agendas, ipsiusque laudes canendas pertinet. Id quod tùm ex ipso cænæ Dominicæ scopo ac fine, quo tota ista actio ponderanda est: tùm ex hoc maximè perspicitur, quòd, ut demonstravimus, Paulum a Magistri sui disciplina discessisse, aliudque quàm ille instituerat Ecclesiæ tradidisse, credibile nequaquam est. Cùm igitur Christum suis poculum ita porrexisse constet, ut eo accepto gratias egerit, Paulusque nos idem faciendo, calici benedicere asserat, quorsum quæso attinet, diversos istarum locutionum significatus somniare? & porrò cùm gratiarum actio, qua Christus, accepto poculo usus est, non nisi ad Deum referatur, benedictionem ad calicem simpliciter, nullo ad Deum respectu habito referre? quasi utrobique non idem fiat, Paulusque aliud quippiam a Christi institutione fidelibus præscribere voluerit.

At, inquit Smiglecius, *ut rectè dicitur, nos pani vel calici benedicere: ita non nisi ineptè dici potest, nos pani vel calici gratias agere.*" Respondeo, delicatis auribus hoc fortè ingratum esse; eos tamen id non curare qui non in verba, sed verborum sensum mentem intendunt. Homo quippe Dialecticus, & sic theologus etiam, non semper verborum concinnitatem (quod grammaticorum est proprium) sed ipsum loquentis sensum spectat. Quid quòd si grammaticam spectes loquendi consuetudinem, non minus absurdum esse videtur, calici per se considerato benedicere, quàm eidem gratias agere. Verbum quippe εὐλογεῖν apud disertiores græcos, laudare significat. Quam ineptè igitur, propriè loquendo, calicem laudare diceremur, si literas syllabasque verborum potius, quàm ipsam Christi mentem spectaremus, quis non videt? Quæ quidem verborum istorum absurditas aliter emolliri nequaquam potest, quàm ut calici benedicendo (quemadmodum vulgata habet, cùm ex Græco, *calicem benedicere*, legendum sit) non ipsi calici, Sed per ejus usum, Deo Christoque benedicere, id est, gratias agere, laudesque canere dicamur. Id quod illis usalmistæ verbis optimè declarari videtur:

Psal. 116. 12, 13. *Quid rependam Iehovæ pro omnibus quæ retribuit mihi: calicem salvationum accipiam & nomen Domini invocabo*, id est, ut M. Antonius Flaminius doctissimos Hæbreos secutus, interpretatur: accipiam poculum gratiarum actionis, pro vita ac salute conservata, beneficio Dei.

Ex quo intelligitur exemplum Christi, quinque panibus benedicentis, a Smiglecio, hoc loco adductum, nihil illius causam juvare: cùm similiter in eodem negotio, verbum *benedicere*, cum verbo *gratias agere*,

gere confundatur. Ioannes quippe eandem historiam narrans, dicit; Dominum Iesum quinque illos panes accepisse, & gratiis actis fregisse &c. ut facilè appareat, si modò divinum spiritum sibi ipsi consentire volumus, verbum εὐλογεῖν a Luca usurpatum, idem hîc significare, quod verbum εὐχαριστεῖν a Ioanne eadem in re adhibitum. Itaque manifestum est, Smiglecium suam calicis consecrationem, ut nimirum Christi sanguis fiat, his scripturæ testimoniis demonstrare non potuisse. Multò minus autem ostendet, eâdem consecrationem, ut mox subjungit, ad solos Apostolos, singulari quadam ratione pertinere. Cùm enim, ut docuimus, ejusmodi consecratio, scripturæ testimoniis comprobari non possit, & sic nullo modo habeatur, quomodo quæso, eam adhibere, Apostolorum muneris fuit? & porrò qua fronte hodierni sacrificuli, qui Apostoli non sunt, hanc sibi panis vinique consecrationem, id est, ut Smiglecius explicat, mutationem usurpare audent? Cùm præterquam quòd scripturis, ut demonstravimus, istud somnium sustineri nequit, etiam ipsi sese a rei istius potestate excludant, dum ad solos Apostolos, eam spectare disertissimis verbis affirmant. Ioan 6.11. Luc.9.16.

Prorsus igitur concidit distinctio, paulò post, a Smiglecio subjuncta: *Toti quidem*, inquit, *ecclesiæ, Eucharistiæ usum communem esse voluit Christus: sed non ministerium. Nam ministerium conficiendi & distribuendi, Apostolis assignavit: usum verò de manibus Apostolorum sumendi ad alios quoque fideles pertinere voluit.* Hæc, inquam, distinctio, nullum locum habet, nec habebit unquam, nisi Smiglecius, admirabilem istam consecrationem, quâ panis vinumque, in corpus sanguinemque Christi mutetur, & a Christo Apostolisque factam fuisse, & hodie a sacrificulis fieri demonstret. Quod quidem nunquam faciet, ut tùm ex iis patet, quæ hactenus diximus, tùm multò clarius ex illis, quæ infrà suo loco dicemus, patebit. Adde quòd, ut in nodi dissolutione demonstravimus, Paulus hæc verba: *Panem quem frangimus, & calix cui benedicimus*, nullo ministrorum auditorumque delectu habito, imò nullius certi hominis, qui reliquis cænam Domini dispenset mentione facta, ad totam ecclesiam accommodat, eamq; admonet, ut quia panem frangendo, calicique benedicendo, sese populum Christi, eorumque quæ Christus morte sua peperit, beneficiorum, participem esse profitetur: ne altera ex parte, idolothytis cum extraneis vescendo, ostendat, se simul & dæmoniorum mensæ participem esse. Quod quidem ita, ut dicimus, intelligendum esse, ipsa verborum complexio Israelitarumque exemplum, ibidem adductum luculentissimè docet. Hęc omnia dixeramus in nodi

dissolutione: sed Smiglecius ea suo more, dissimulare, quàm refellere maluit.

Caput VI.

De manuum impositione.

DIxeramus inter alia quæ Smiglecius præteriit, in primæva illa ecclesia, impositionem manuum ejusmodi viguisse, ut quibus contingebat, ii plerumque donis spiritualibus ornarentur, in hunćque eundem finem ab Apostolis aliisq́ue, quibus ea autoritas concessa erat, usurpatam fuisse. Vt enim alia omnia miracula Christi nomine virtutéque, ab Apostolis horuḿque sociis edita, ad veritatem salutarem, in ecclesiæ primordio confirmandam spectabant: ita & de ejusmodi manuum impositione judicandum est. Verùm cùm hodie nemo sit, qui edendi miracula potestatem sibi tribuere, jure possit: ideò & ejusmodi manuum impositionem cessâsse fatendum est. Hæc, inquam, pauca annotaveramus. Smiglecius verò, satis habet, & ecclesiæ consuetudinem, & omnium seculorum antiquitatem, nobis opposuisse, quæritum istum & semper retinuerit, & ad hæc usque tempora retineat.

Atqui primò meminisse Smiglecium oportuit, nos posteriorem antiquitatem, posterioremq́ue ecclesiæ autoritatem, absq́ue firmissimarum rationum, divinorumq́ue testimoniorum præsidiis minimè curare. Veritate quippe, nec ulla antiquitate convincendi sumus. Deinde falsum est, omnem antiquitatem istius generis manuum impositionem retinuisse. Intelligendum quippe est, nos non de simplici manuum impositione verba facere: sed de ea, quam comitabatur spiritus S. manifesta donatio. Hanc enim cessâsse, etiam sensus communis dictat, cùm a multis temporibus, nemo extiterit, qui eam sibi vendicare ausus fuerit.

Quod igitur dicit Smiglecius, me eam cessâsse non alia, quàm mea autoritate confirmare, vehementer errat, cùm probè intelligam, hîc nec mea, nec aliena autoritate opus esse, quandoquidem, ut modò docui, ipsum rectæ rationis judicium, ejusmodi manuum impositionem, jam antea in Ecclesia defeciisse testificatur.

Smiglecius verò ut ea dicere videatur, quæ ad propositam quæstionem spectent, inquit: *Etsi potestas ordinaria miracula patrandi cessaverit: non idcirco inferre Volkelius debuit, donum quoque & gratiam spiritus S. qua ministri sanctificantur, cessâsse. Nam miracula solùm ad fidem indu-*

inducendum erant necessaria, eaque fundatâ ac confirmatâ, potestas ordinaria, miraculorum faciendorum cessare debuit. At spiritus S. gratia qua ministri ecclesiæ sanctificantur, non ad fidem confirmandam: sed ad munera ministrorum obeunda requiritur. Quapropter sicut officia ministrorum perpetua sunt; & nunquam cessare debuerunt: ita & gratia spiritus sancti illis promissa, & in ritu impositionis manuum assignata. Hæc Smiglecius: Hîc primùm respondeo, me nequaquam sic, ut me facere fingit Smiglecius, argumentari, nimirum hoc pacto: Potestas patrandi miracula cessavit: Ergo & gratia spiritus sancti. Verùm hæc est mens verborum meorum: quia id quod manuum impositionem comitabatur, vel cujus gratiâ manuum impositio adhibebatur, jam a multis temporibus cessavit, idcirco & ipsam manuum impositionem cessâsse aut certè non necessariò requiri. Neque enim Smiglecium adeò in re dialectica peregrinari existimamus, ut sublato fine, etiam ordinata ad finem, tolli ignoret. Deinde ipse Smiglecius, ineptè argumentatur, dum ideò manuum impositionem, necessariò retinendam innuit, quià donum gratiaque spiritus sancti non cesset, qua ministri sanctificantur. Primò enim pro concesso sumere videtur, ministros semper omnibusque seculis, externo spiritus sancti munere, per manuum impositionem consecrari. Ita enim eum loqui aut sentire oportere, res ipsa docet, alioqui nihil acturum. Vt enim manuum impositio ab Apostolis aliisque in primitiva ecclesia usurpata, cerimonia externa aspectabilisque erat: Ita aspectabilis spiritus sancti donatio eam consequebatur. Quod cùm hac seculorum ætate, minimè fieri, ipso splendore clarius sit, quis non videt, rectissimè nos dixisse, simul & ejusmodi manuum impositionem cessâsse, nisi fortè aliam ob causam nudus ejusdem usus, nequaquam autem necessariò in ecclesia retineatur. Adde quòd nequaquam ea hodierni ministerii ratio est, ut ad illud rectè fungendum, singulari miraculosoque spiritus sancti dono opus sit: cùm muneris istius administratio, magnam partem, in iis repetendis, atque apud homines proponendis sita sit, quæ semel a Christo Apostolisque tradita fuêre. Quòd si tamen & ad hæc rectè peragenda spritu S. opus esse dixeris: respondemus, consecutionem istam pessimè constitutam esse: *Ministris hodiernis ad repetendam Christi Apostolorumq; doctrinam opus est, spiritu sancto, Ergo illis opus est externo spiritus sancti dono, cum externa manuum impositione conjuncto.* Quasi verò non sufficiat internum spiritus sancti munus, quo Deus hoc tempore utitur.

Iam quòd Smiglecius inter potestatem miracula edendi, & spiri-

tus sancti gratiam, quæ ministris contingat, distinguit, ex eoque manuum impositionem minimè cassasse colligit, id quidem leve infirmumque est. Vt enim ista duo, ex ea, quam Smiglecius commemorat, parte, inter se differre concedamus: hoc tamen inter eadem convenit, quòd utrumque in primitiva ecclesia, oculorum aspectui patebat, & porrò non minus hoc, quàm illud ad Christi doctrinam, tunc confirmandam comparatum erat. Neque enim ulla alia vera causa afferri posse videtur, cur externa spiritus S. donatio, unà cum miraculis cessaverit.

Iam quòd Smiglecius dicit. *Ministris spiritu S. opus esse, tùm ad Eucharistiam conficiendam, tùm ad peccata remittenda*, partim falsissimum est, partim ad rem nihil pertinet. Falsissimum esse, & jam docuimus, & infra suo loco magis docebimus. Ad rem verò nihil facere, ex eo patet, quod si maximè ministris, Eucharistiam conficiendi, peccataque remittendi potestas, quam somniat Smiglecius, daretur (quod nos planè negamus) nequaquam necesse foret, ut id per impositionem manuum fieret: præsertim cùm longè alia, nimirum paulò ante commemorata ratione fieri posset.

Similiter & de iis judicandum est, quæ post modum subjungit. *Neque verò Christus Apostolicam solùm illam ecclesiam dilexisse, eam verò quæ post Apostolos est, deseruisse existimandus est. Verum enim est, quod promisit: Ego vobis cum sum, usque ad consummationẽ seculi.* Vt enim ex eo quòd Christus hodiernam suam ecclesiam æquè ac illam primam amat eique adest, manuum impositio aspectabilisque spiritus sancti donatio concludi non potest: ita nec contra, ex utroque cessante, rectè colligitur, Christum hodiernos fideles suos, pari cum illis amore nequaquam prosequi. Sic enim hoc idem ex miraculorum cessatione consequeretur: ut facilè appareat, æqualitatem amoris, quo Christus & illos & hodiernos fideles prosequitur, non in utrisque aspectabilis spiritus sancti munere ornandis: sed tàm in his quàm in illis, fovendis, juvandis, tuendis, ad sempiternamque felicitatem præparandis, sitam esse: Intelligendum quippe est, Dei Christique virtutes nequaquam ita comparatas esse, ut sese invicem impediant. Inest in Deo Christoque charitas, inest & sapientia: Ita igitur Deum Christumque suos charos habere statuendum est, ut a summa sapientia sua non discedant. Quod quidem omnino fieri necesse esset, si hodiernis temporibus, eadem, quæ in primitiva ecclesia vigebant, admiranda opera facerent, ut infra in ultimæ demonstrationis examine docebimus.

Præterea me Smiglecius suo more calumniatur, dum me nihil divinum

vinum in Eucharistia inesse dicentem facit. Notâsset saltem locum aut paginam, ubi ego sic loquar. Nisi fortè illa nostra verba hanc continere sententiam putat. *Nequaquam opus est, ut aliqua ex ministri persona, sive dignitas, sive vis cælestis, sive sanctitas, sive mutatio, ad hanc actionem redundet: & quicquid eâ vel sanctitatis, vel mutationis continetur, id omne non ad ministri personam, sed ad divinam institutionem referendum est.* At verò mi Smigleci, aliud est negare, divinum quiddam, in Dominica cæna contineri, quod quidem ego non facio: aliud disquirere, unde divinitas sanctitasq;, quam ego eidem actioni sanctissimè tribuo, dependeat. Iudicet igitur lector, quantum in Iesuitarum fide ponendum sit.

Ad extremum duo addidit Smiglecius. Primò enim dicit: *Ad Arianam Eucharistiam ministrandam nullam vim divinam requiri, Eucharistiæ autem Catholicæ ministros divinos homines esse oportere, quibus tam divina mysteria concredita sunt.* Quæ quidem ipsius verba nulla responsione digna sunt. Nam præterquam quòd scurrilem quandam cavillationem continent (dum per jocum ludumque cœna Domini jam Arriana, jam Catholica nominatur) inanem etiam rerum jam repulsarum repetitionem habent: cùm & tantam sacrificulis divinitatem asscribant, ut corpus sanguinemque Christi, ex pane vinoque, seu ut hîc loquitur, Eucharistiam conficere possint, quod jam prorsus a nobis convulsum est: & præter omnem rationem veritatemq; præsupponit, omninò necesse esse, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens, reliquis cænam Domini dispenset. Quod quidem quàm falsum sit, satis in nodi dissolutione ostendimus.

Deindè nos absurdè facere ait, qui potestatem peccata remittendi in prima illa Apostolorum prædicatione collocemus, Christumq; Apostolis Spiritum sanctum, ad remittenda peccata, post suum demum in cælos ascensum, reipsa dedisse dicamus. Quia verò, hoc in loco, nos istius absurditatis non convincit: sed in tertiæ suæ demonstrationis examine sese id facturum pollicetur, expectabimus sanè, & quomodo id præstiturus sit, videbimus.

Caput VII.

Dixeramus in nodi dissolutione, inter alia, illos, qui hodie reliquos ad Christi Apostolorumque doctrinam instituunt, quamvis missione careant, veræ tamen charitatis officio ita fungi, ut nec ullam Dei legem violent, nec ordinem perturbent: sed id faciant, quod non

solùm illis a Deo prohibitum nunquam fuit: sed insuper etiam, divinorum hominum, tùm exemplis, tùm suffragiis comprobatum. Quid enim, dixeramus, an illi dispersi, qui citra missionem Evangelium prædicârunt, charitatis legem violârunt, ordinemque perturbarunt? Atqui illis manum Domini adfuisse, Lucas testatur. Id quod verum nunquam fuisset, si tanto sese scelere adstrinxissent. Quid verò de Apolline dicam? Is certè, ut idem Lucas testis est, etiam tunc, cùm nondum perfectam rerum divinarum scientiam teneret, ideoque missus nequaquam esset, ferventissimo spiritu, de Iesu homines docuit, tantumque abest, ut aut veram charitatem violaverit, aut ordinem perturbaverit, eoque nomine, ab aliquo divino homine reprehensus fuerit, ut etiam Priscilla & Aquila eum assumptum, viamque Domini rectius edoctum, aliis denique ecclesiis commendatum fuisse scriptum legamus. Quid quòd illi, qui ex Pauli vinculis, quibus Romæ constrictus tenebatur, arrepta occasione audacius etiam, quantumvis non missi, divinum verbum prædicârunt? Idque partim candidè partim per invidiam. Quod tamen Paulum non ægrè tulisse: imò summo gaudio perfusum fuisse legimus, Christum sive hoc, sive illo modo prædicari, ut facilè Christi Apostolum agnoscere possis. Qui namque id unicè cupit, ut Christus, ipsiusq; salutaris disciplina omnibus innotescat, is non curat, quis quave conditione is sit, qui eam prædicat, dummodò quodquæritur, quam primùm fiat. Ad hæc omnia exempla, primo tantùm excepto, ne verbum quidem respondit Smiglecius: sed satis habuit dixisse: *Toto cælo errat Volkelius. Nemo enim in prima ecclesia, prædicationis munus suscepit, nisi vel a Deo immediatè vocatus & missus cum miraculorum testimonio: vel illorum socius & audiutor extitit, qui a Deo fuerunt missi.* Meritò autem te amamus, Smigleci, qui tandem, quantumvis invitus in nassam nostram illaberis. Hoc enim illud est, quod volumus, nimirum in prima illa ecclesia, non solùm illos, qui immediatè missi fuêre: sed eos etiam, qui illorum socii adjutoresque extiterunt, prædicandi munus suscepisse. *At*, inquit, *Isti omnes immediatè missi fuerunt.* Nos verò & hoc negamus, & eorum plerosque, vix aut ne vix quidem, Apostolorum socios appellari potuisse dicimus. Apollinem enim, verbi causâ, ferventissimo spiritu, de Domino Iesu homines docuisse accepimus, quamvis missus non esset. Is quippè qui ad Christum prædicandum mittitur, perfectam ejus doctrinæ scientiam teneat necesse est. Atqui Apollinem tunc non nisi baptisma Ioannis sciviſse, a Priscillaque & Aquila demum assumptum viamq; Domini rectiùs edoctũ ecclesiisq; commendatum

Act. 8.4.&11.19. 20.21.

Act.18.26.

Act.18.25.

datũ fuisse, ex scripturis manifestissimũ est. Vnde colligitur, cum cum prædicare inciperet, Apostolorum socium non fuisse. Eodem modo & de illis sentiendũ est, qui ex Pauli vinculis, arrepta occasione, per invidiam, Christum quantumvis non missi, prædicârunt. Quos quidem Pauli socios adjutoresq; ea in re fuisse, nemo dixerit: cum idem Apostolus, & eorum invidiâ se se pressum, eaq; de causa Christum ab illis prædicatum fuisse asserat, ut vinculis ipsius afflictionem adderent. Nihilominus tamen, & hoc modo Christum prædicari, tantum abest, ut molestè tulerit, ut summoperè etiam gavisus fuerit. Ex quo apparet, hanc disjunctivam Smiglecii propositionem, nequaquam sufficientem partium enumerationem continere: *Qui in prima illa ecclesia, prædicandi munus suscepit, vel immediatè missus fuit, vel illorum socius extitit, qui a Deo fuerunt missi*, cum etiam eos hoc fecisse videamus, qui illorum socii nequaquam fuêre. Phil. 1. 15. 16.

Pergit Smiglecius, & id *adeo verum esse affirmat, ut Paulum etiam tam mirabili ratione a Deo vocatum conferre oportuerit evangelium suum, cum præcipuis Apostolis, ut ostenderet suam doctrinam, cum doctrina aliorum Apostolorum consentire.* Verùm quid hoc ad rem faciat, videre non possum. Quæ enim hæc, quæso, consecutio est? Paulum oportuit cum aliis Apostolis de sua doctrina conferre. Ergo nemo Christum prædicare potest, præter aut immediatè missos, aut horum socios. Nullum hic video vinculum, nullam legitimam connexionem. Vt enim facilè concesserim, eos qui docendi munus gerunt, de rebus divinis inter se conferre æquum esse: ex eo tamen consequi, ab illis qui hanc personam sustinent, omninò vel immediatam missionem, vel eam, de qua hîc agitur, cum immediatè missis societatem requirendam esse pernego.

Verùm non desinit Smiglecius suam imperitiam prodere, subjungit enim hæc verba: *Neque enim fideles illi quemcunq; prædicatorem admittebant, etiamsi diceret se a Deo missum, nisi cum doctrina suorum ordinariorum pastorum consentiret, & dextras societatis illis daret.* Hîc Smiglecius partim ea dicit, quæ ad præsentem quæstionem nihil pertinent, partim principium petit. Ac illud quidem ex eo patet, quod hoc in loco, nequaquam quæritur, an quilibet prædicator, absque ulla probatione sit admittendus, cum hoc minimè fieri debere, extra controversiam sit, nosque divinos scriptores sequentes, spiritus probandos, omniaque exploranda & quod bonum est, tenendum esse disertissimè affirmemus: hoc verò alterum, eam ob causam dicimus, quòd ea Smiglecius 1. Ioan. 4. 1. Tess. 21.

glecius asserit, quæ egent probatione. Cum enim dicit, *fideles illos non quemcunque prædicatorem admisisse, etiamsi diceret se a Deo missum, nisi cum doctrina suorum ordinariorum pastorum consentiret, & dextras societatis illis daret*, nonné manifestum est, eum, si modò ad rem loqui voluit, affirmare, Pauli prædicationem, quâ, antequam Hierosolymam iret, utebatur, cumque Apostolis de rebus divinis conferret, admissam minimè fuisse, propterea quòd, licet sese missum esse assereret, tamen ut ita sese rem habere, fidelibus constaret, prius Apostoli, qui ei dextras societatis darent, adeundi fuerint. Ex quo consequitur, aut minimè ante illud tempus, eum prædicâsse: aut si prædicavit, sanctissimo sapientissimoque Dei spiritu præditum nequaquam fuisse, quorum utrumque falsum absurdissimumque est. Primò enim prædicâsse eum Evangelium, Iesumque Christum filium Dei esse in congregationibus confirmâsse, idque simulac ab ipso, divinissima ratione vocaretur, tum Lucas, tùm ipse luculentissimè testificatur. Ait enim: *quando Deo placuit, qui segregavit me ab utero matris meæ, & vocavit me per gratiam suam, ut revelaret filium suum per me, quem prædicarem inter gentes, eadem hora non contuli cum carne & sanguine, neque veni Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerunt Apostoli: sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum. Deinde tribus post annis redii Hierosolymam, ut viserem Petrum.* Ex his intelligitur Paulum non solùm, antequam Apostolos conveniret, prædicâsse: sed etiam minimè ad hoc suum munus obeundum necessarium duxisse, ut illos adiret. Quid quòd & tunc, cùm post annos quatuordecim Hierosolymam proficisceretur, nihil sibi ab illis additum fuisse, disertissimè asserit. Quòd verò ipsi Barnabæq; dextram societatis dederunt, id nequaquam, ut putare videtur Smiglecius, eam vim habet, quasi apud gentes prædicandi potestatem illi fecerint. Sic enim sibi ipsi adversaretur Apostolus, qui paulò ante non solùm nihil eos sibi adjunxisse dicit: sed contrà etiam dextram societatis dedisse, ut nimirum hoc signo ostenderent, se illum nec reprehendere, nec ulla in re, prædicationem ipsius corrigere: sed planè cum illa concordare.

Act.9.20. Gal:1.15. & seqq. Gal:2.6. ℣ 9.

Iam quòd ad alterum attinet, constat, Paulum statim spiritum sanctum accepisse, & porrò nequaquam, tam temerarium inconsideratumque fuisse, ut quamvis sese, non antegressa cum Apostolis collatione meritò reiici posse sciret, prædicandi tamen munus susciperet.

Act:9.17.

Ex iis omnibus, quæ diximus, clarissimè patet, Paulum non solùm officii sui ratione, ex reliquis non pependisse: sed longè aliam ob causam, quicquid dicat Smiglecius, Hierosolymam iviisse, nimirum ut gentiles,

Gal:2.3.4.5.

tiles, quos ad Christum converterat, quantum in ipso esset, conservaret: Cùm fieri facilè potuisset, ut a ludæis fidelibus illis quidem: legalium tamen cerimoniarum nimium retinentibus, labefactarentur, aut etiam prorsus de Christiana religione deturbarentur, & sic ipse in cassum curreret, id est, labor quem in illis Christo adjungendis posuerat, inanis irritusq; esset. Cui quidem malo ut obviam iret, Apostolos reliquos, quorum dicta rata firmaque omnes Christo dediti, habebant, sibi conveniendos dixit, ut ipsorum consensu convinceret, neminem jam legalibus cerimoniis obstrictum esse. Quod quidem ita esse,& totius epistolæ scopus,& horum verborum contextus indicat. Quid autem hoc ad rem quam Smiglecius defendendam suscepit, ponderis afferat, prudens lector judicet.

Iam quod ad illos dispersos attinet, ait Smiglecius: *eos immediatè a Deo vocatos fuisse* (manus enim Domini erat cum ipsis) *& ordinatis ecclesiæ pastoribus socios & adjutores se præbuisse, ita ut utramque missionem tàm immediatam quàm mediatam haberent.* Respondemus, neutrum comprobari posse. Primò enim non sequitur, eos immediatè Act:11,21. missos fuisse, quòd manus Domini cum ipsis fuisse dicitur. Manum enim Domini cum aliquo esse, nihil aliud significat, quàm Deum alicui opem auxiliumque ferre, nihilque vetat, quominus illi etiam hanc Dei gratiam experiantur, qui quodcunque opus laudabile citra ullam missionem suscipiunt, & porrò multò magis ii, qui divinæ gloriæ, hominumque salutis studio incensi, Christi doctrinam disseminant. Deinde dispersos illos Apostolorum socios, aut ab illis mediatè missos fuisse, nullo testimonio ratione vé comprobatur: quin imò contrarium Smiglecianæ assertioni, primò ex eo colligitur, quòd exorta persecutione, universus Christianorum cætus, qui Hierosolymis erat, solis Apostolis exceptis, dispersus fuit, Lucasque indefinitè, nulla missionis mentione facta, aut certorum hominum ratione habita, dicit, illos qui dispersi erant, circuisse verbumque Dei prædicâsse. Deinceps, non missione, sed persecutione, eos in varios locos extrusos fuisse, idem Lucas apertissimè testatur, ut facilè appareat, eos urbem nequaquam relicturos fuisse, nisi afflictio illa incidisset. Act:8 1.4.

Pergit Sm:, & me multùm falli dicit, qui non referre existimē, quis quavé conditione sit is, qui prædicat. *An parum*, inquit, *refert, si is qui prædicat, sit falsus propheta, errorum magister, hæreticus?* Hîc aut candorem aut prudentiam acumenque Smiglecii desidero. Aut enim videt a me hîc præsupponi, eum quem absque missione Christi doctri-

nam, apud homines proponere posse dicimus, virum tùm bonum inculpatumque, tùm ad docendum aptum esse debere: cùm præsertim hoc ipsum perpetuò urgeam, & sic verba hæc mea: *quis quavé condicione sit is qui prædicat*, nequaquam etiam ad hæreticos falsosque prophetas referri posse, nihilque aliud significare, quàm non spectandum, an is qui prædicandi partes susceperit, missus publicevé ordinatus, nec ne sit: aut, inquam, videt hoc Smiglecius, aut non videt. Si non videt, oculis medeatur: si autem videt, agnoscat se parùm candidum, contrà ad homines innocentes calumniis onerandos paratum instructumque esse.

Ait porrò Smiglecius: *Nam ad eam rem non satis est, si nudè affirmet, se purum putum verbum Dei prædicare: hoc enim hæretici omnes faciunt, idque ex ipso verbo Dei probare contendunt. Sed opus est publico vel miraculorum vel Ecclesiæ testimonio ad autoritatem prædicationi conciliandam, alioqui omnibus erroribus pateret via.* Respondeo hîc Smiglecium turpiter labi. Primò enim ex ipsius verborum contextu patet, eum hunc in modum argumentari: *Ad prædicandum absq; missione non satis est, si quis se purum putum verbum Dei prædicare affirmet. Ergo multum refert, si is qui prædicat, sit falsus propheta, errorum magister, hæreticus.* Hæc argumentatio partim ad rem nihil facit, cùm nos nequaquam negemus, plurimum interesse, ut qui prædicat, non sit hæreticus aut falsus propheta: Contrà verò nihil, si rem ipsam spectes, referre putamus, illum qui vera prædicat piusque sit, missum publicevé ordinatum non esse: Partim verò argumentatio illa, nullo cohærentiæ vinculo connexa est, cùm consequens ex antecedente inferri nulla ratione possit. Quid enim hac locutione ineptiùs esse potest? Ideò non satis est, quempiam affirmare, se purum verbum Dei prædicare, quia plurimum referat, si is qui prædicat sit hæreticus. Hanc autem Smiglecii verborum mentem esse, ex voce *Nam*, quæ præcedentis pronunciati causam denotat, perspicuum est. Si igitur hæc ipsius verba, ut jacent, legenda sunt, nullũ ratione concluſum sensum continent. Quòd si hæc sua verba ad subsequentem sententiam referenda esse dicat, ut sensus sit; ideò non satis esse quempiam sibi puram verbi divini prædicationem tribuere, quòd omnes hæretici id faciant, discat in posterum mentis suæ cogitata, ita exprimere, ne & legitimam verborum collocationem violet, & totam rem obscuritate quadam involvat. Interim tamen intelligendum est, ne sic quidem Smiglecium causam suam constituisse, propterea, quòd nec omnes hæreticos id facere probari potest, nec porrò qui id facit, mox hæreticus existimandus est, cùm fieri

possit,

possit, ut quispiam ea tantùm apud homines proponat, quæ purissimũ Dei verbum esse, nemo ex iis qui Christianam religionem profitentur, negare possit. Quid quòd Smiglecius ita argumenti sui conclusionem ampliat, ut illos qui prædicant, non simpliciter, nullaque nixos ratione puri verbi Dei prædicationem sibi vendicare dicat: sed simul etiam divinis testimoniis, quantum possunt, id comprobare: Ex quo consequitur, ipsum Smiglecium iis quæ statim hinc colligit, nimirum vel miraculis vel divinis testimoniis opus esse, nullum locum reliquisse, cùm præsertim neutro opus sit, ut in utroque scripto nostro evidentissimè demonstravimus. Sed sufficiat etiam atque etiam videre, num qui prædicant, sese purum Dei verbum prædicare, sacris testimoniis rectè comprobent: ut quidem de illis Berrhæensibus, qui Pauli dicta, divinæ scripturæ trutinâ examinârunt, accepimus. Quæ dere cùm alibi in hoc libro nostro uberrimè explicetur, supervacaneum est, plura hoc loco dicere. Nisi ad hæc Smiglecii verba aliquid respondendum esse existimamus: *Neque verò*, inquit, *existimandum est, a talibus hominibus, qui nec a Deo immediatè, nec a pastoribus legitimis mittuntur, prædicari Christum & verbum eius, nisi eo modo, quo omnes hæretici suas visiones pro verbo Dei prædicant. Quæcunque enim a Deo sunt, ordinata sunt: quare qui nec a Deo, nec ab ecclesiæ rectoribus, quorum est, legitimos doctores ecclesiis Christi prospicere, mittuntur, ii proculdubio a Deo non sunt.*

Quo in loco sic argumentari videtur Smiglecius:

Quæcunque a Deo sunt, ordinata sunt.

Atqui nec immediatè nec mediatè missi ordinati non sunt.

Ergo tales ex Deo non sunt.

Respondemus tum majorem ambiguã, tum minorem falsissimam esse. Ambigua porrò major dupliciter est. Nam nec a Deo esse, nec ordinari uno eodemque modo accipitur. A Deo quippe esse, non solùm id dicitur, quod vel Deo singulariter constituente, vel cerimonia quadam solenni interveniente sancitur: sed etiam quod divinæ voluntati consentaneum est. Quo pacto homines quidam ex Deo, quidam verò ex Diabolo esse dicuntur, non quòd Deus, aut Diabolus, necessariò eos tales effecerit: sed quia vel ea faciant, quæ Deo, vel ea quæ Diabolo probantur. Quid igitur prohibet, quo minus illi qui divinam veritatem prædicant, quantumvis non missi, Deo approbante, id facere, & porrò a Deo vel ex Deo esse, rectè dicantur. Ioan: 8. 47.

Quid quòd Ioannes expressè dicit, spiritum qui Iesum Christum, qui in carne venit, confitetur, ex Deo esse; non quòd Deus illum miserit: sed

rit: sed quòd sensus ille quem spiritus nomine intelligit, cum Deo ipsiusque veritate congruat. Quemadmodum ex altera parte, ille qui Iesum Christum, qui in carne venit minimè confitetur, non ex Deo sed ex Antichristo, seu, Antichristi spiritus, illius nimirum magni atque insignis appellatur, non quòd eo sensu seu spiritu præditus, ab eodem magno Antichristo missus fuerit, quippè qui tunc nondum extiterit, sed quòd cum illo planè convenerit.

Iam quod ad ordinationem attinet, intelligendum, eam non solùm in aliqua singulari missione publicavé cerimonia constitutam esse: sed etiam, & quidem maximè, in rectè prædicandi facultate, animoque ad istud munus fungendum instructo atque parato. Quo quidem nihil ordinatius fieri potest. Qui enim talis animus facultasque si absit, nihil prodest, vel millies externo ritu ordinari, ne dicam nihil inordinatiùs existere posse. Intelligendum igitur est, rectissimè illum ordinatum dici posse, in quo res memoratæ insunt, quamvis a nullo alio, eo, quo Smiglecius vult pacto, ordinetur. Quid enim, an non satis ordinatus is ad prædicandum existimandus est, qui ea facit, quæ Deus approbat, quique ea possidet, quæ Paulus, nulla missionis, aut externæ ordinationis mentione facta, ab illo qui episcopatus desiderio tenetur, postulat, nimirum docendi dexteritatem vitamque cum pietate traductam? Quemadmodum enim illi qui ea habebant, quibus ad sempiternæ salutis adeptionem opus erat, nimirum probitatem, exque hac profluentem fidem obedientiamque Christo debitam, ad vitam æternam ordinati fuisse dicuntur, idque simpliciter, & nemine a quo ordinati fuerint, nominato; ita nihil prohibet, quo minus, qui pii sunt, docendique munus ex divinorum oraculorum præscriptione exequuntur, ordinati ad eam rem esse jure dici possint. Vt enim illi in Christum credendo, eique obediendo, idque propter summam animi probitatem, a seipsis quodammodò, ut multis viris piis doctisque placet, ad vitam æternam ordinati erant: ita qui & piè vivit, & docendi dexteritate pollet, per seipsum, id est, nemine ordinante, sed aptitudine quadam ex re ipsa profluente, ordinatus, seu, quod planè idem est, ad hoc munus accommodatus nominari potest. Quod quidem non eo consilio animoque a nobis dicitur, quasi ordinationem publicam, ex fidelium cætu, exterminatam velimus: sed ut appareat, quemadmodum perpetuò dicimus, eam omninò absolutèque necessariam minimè esse.

Act. 13 48.

Iam minoris fallitas manifesta est, nimirum eos, qui nec immediatè nec mediatè missi sunt, ordinatos non esse: Cùm, ut satis docuimus,

etiam

etiam illi qui nullam missionem habent, ordinati tamen sint, modò illa possideant, quibus ministerii natura essentiaque continetur. Adde quòd si maximè ordinationis nomine, eam prædicandi potestatem intelligere velimus, quæ vel a Deo mittente, vel ab hominibus ordinantibus dependeat, consequentia tamen istius argumenti, vitiosissima esset, nimirum, ideò quempiam a Deo non esse, quia neutro modo in munere isto constitutus sit, cùm præter spiritus Iesum Christum in carne venisse confitentes, ut modò docuimus, illos etiam dispersos a Deo fuisse, nemo negare possit, quamvis neque hac neque illa ratione eas partes sibi impositas habuerint.

Atqui, inquit Smiglecius, *tales nec a Deo verum scripturæ sensum & intelligentiam assequuntur, ita ut in plurimos errores labi illos sæpè oporteat. cùm verissimum sit, quod sanctus Petrus docuit, scripturam propria interpretatione non fieri, sed spiritu sancto inspiratos loqui sanctos Dei homines.* Hîc animadvertendum est, Smiglecium ea quæ hoc loco dicit, frustrà Petri Apostoli autoritate confirmare niti: cùm nec eam Petri mentem esse: nec protinus consequi, ut qui vel a Deo immediatè, vel ab hominibus mediatè missus non sit, in plurimos errores, præsertim salutem adimentes labantur, satis in hoc libello nostro, suo loco docuerimus.

Pergit Smiglecius & ait: *Potest*, inquit, *Volkelius, ex charitate doctrinam Christi quilibet & Apostolorum, docere. Aio talem charitatem quoslibet hæreticos prætendere, qui tamen docendo omnem charitatem violant, cùm aliis errorum sunt causa. Suspecta semper est talis charitas, quæ missione legitima destituta est.* Respondeo hanc Smiglecii consecutionem pessimè constitutam esse. *Omnes hæretici charitatem prætendunt. Ergo nemo, ex charitate doctrinam Christi Apostolorumque proponere potest.* Annè huic simillima ista est. Omnes Iesuitæ pietatem vitæq; sanctimoniam prætendunt. Ergo nemo Christianorum hominum pie sancteq; vivere potest. Reprehendantur igitur illi, qui charitatem prætendunt, nec tamen exercent, sed eam potius violant: qui verò reverâ charitate incensi prædicant, eaque quæ ex Christi Apostolorumque doctrina cognita perspectaque habent, apud homines proponunt, audiuntor. Hoc autem fieri posse, atque adeo debere, passim in hoc scripto nostro docetur. Nec consequens est, quia illa charitas, missione destituta, Smiglecio ejusdemque farinæ hominibus in suspicionem venit, ideo mox eam abjiciendam esse, cùm & ipsam scripturam sanctam isti homines in suspicionem vocent, dum eam & obscuram & imperfectam,&

ctam, & cereo naso similem esse, per summam impudentiam dicere, majoremque nugatoriis traditionibus suis autoritatem, quàm divinis oraculis tribuere non verentur. Num igitur ob istas illorum suspiciones, imò calumnias divinis literis contemptis, confictas traditiones amplexabimur? Minimè gentium. Intelligendum præterea est, etiam missionem, de qua tantoperè isti doctores gloriantur, maximam suspicionem habere. Valdè enim metuendum esse, multi cordati homines, & olim monuerunt, & etiamnum monent, ne isti fallaci missionis prætextu palliati, somnia sua inanissimasque fabulas hominibus obtrudant. Nos vero, proh dolor, planè ita sese rem habere experti sumus, ut alibi in hoc scripto nostro ostendimus. Et quidem missionem, quam sibi isti tribuunt, hodie nullum locum habere ex eo intelligitur, quòd Apostolorum, ut demonstravimus, propria erat a soloque Deo ac Christo fiebat. Quo magis istorum hominum superbia vituperanda est, qui rem, quam Deus, hac seculorum ætate, vigere noluit, omni pudore abstersо, sibi vendicare non dubitent. Ex quo apparet, Charitatem quæ missione destituitur, in suspicionem meritò adduci non posse, cùm missio ista, ut sæpiùs jam docuimus, locum non habeat, & porrò charitas ea carens, culpari nequeat. Quòd si Smiglecius externam ordinationem, ad fidem ministris conciliandam valere, existimat, adeò ut absque illa ministerium suspectum sit, nunquam hominibus cordatis, id ita esse persuadebit: cùm res ipsa doceat, nequaquam tantum ordinationi isti inesse virium, ut ministrum veracem efficere possit. Quin imò videmus, & quasi oculis cernimus, plurimos per istam ordinationem in ministerii Ecclesiastici officio constitutos, pro salutari veritate, vanissimas nugas proseminare.

Attamen charitatem missione carentem inordinatam esse dicit Smiglecius; quasi verò non satis ordinatum id sit, quod, ut suprà diximus, Deo nõ prohibente, auditoribusq; contrà adstipulantibus, eo consilio animoque suscipitur, ut gloria Dei amplificetur, hominumque salus constituatur. Si tamen charitas, qua impulsus quispiam divinam veritatem prædicat, absq; missione, ut ait Smiglecius, inordinata est, certè multo inordinatior erit missio, quæ vera divini verbi prædicatione destituta, quasi pallium quoddam est, quo doctrinæ falsæ pestilentissimiq; errores conteguntur, subq; specie veritatis, per summam fraudẽ disseminantur. *At*, inquit Smiglecius, *ad ordinem regiminis Ecclesiastici, quem Episcopis & pastoribus ordinariis, commisit Deus, pertinet, inter veros falsosque Doctores discernere, & non nisi probatos admittere,*

tere, ut populum Dei doceant. Respondeo. Smiglecium nunquam ullo divino testimonio comprobaturum, Deum ordinariis tantùm pastoribus commisisse, ut inter veros falsosque doctores discernerent illosq; mitterent, vel ordinarent: hos verò minimè. Dijudicare namque tàm hos quàm illos omnium Christianorum commune esse, non uno in loco scriptum legimus. Nec usquam extat, veros prædicatores in hoc munere constituendos, falsos verò, ab eo removendos, sed illos ut potè jam in prædicandi munere versantes audiendos, illos verò minimè esse accepimus. Quod si tamen propter certas causas, aliquos publicè ordinare placeat, id non a solis Episcopis primariisque viris, sed ab universa ecclesia fieri debere satis suò loco docuimus. Iam quod Smiglecius dicit: *Paulum mulierem etiamsi maxima charitate ad prædicandum inducatur, prædicare in ecclesia non permisisse, quòd ea charitas subjectioni, qua debet esse viro suo subjecta, adversetur.* Respondemus Smiglecium ipsum, quantumvis tacitè fateri, mulierem non ideò a prædicandi munere, prohiberi, quòd missa non sit: sed quia id subjectioni quam viro debet repugnet. Didicit nimirum hoc a nobis, qui in priore responsione nostra idem dixeramus: ad illud tamen nihil respondit, quod eundem istum locum, illum contrà se ipsum attulisse ostenderamus. Cùm enim Paulus solas mulieres a docendi munere removeat, nullumq; planè de viris, ad docendũ idoneis excludat: nonnè manifestum est, cum omnibus viris, qui tales sunt, docendi libertatem permittere. Hæc inquam Smiglecius suo more, omisit. 1. Cor: 14. 34. 1. Tim: 2. 9.

Iam quod hoc loco addit: *pari ratione charitas istorum prædicatorum, qui non mittuntur, subjectioni ordinariorum ecclesiæ pastorum adversatur, cùm ad eorum officium & regimen spectet, prædicatores probare, & probatos admittere, alios reiicere & ab ovibus Christi repellere, in quo vera missionis ratio cernitur,* istud inquam, partim a nobis paulò ante repulsum est, partim planè nunc repelletur. Parem enim utriusque rei rationem esse, planè falsum est: cùm non nisi in iis rebus ordinariis pastoribus, subjecti esse debeamus, quarum rerum potestas illis in nos concessa est: sed eos habere potestatem, illos qui licet missione careant, ad docendum tamen apti sunt, vitamque vivunt piam ac inculpatam, a prædicandi officio prohibendi, nunquam Smiglecius probabit: ut facilè appareat, eos qui absque missione divinum verbum prædicant, nihil contrà ordinariorum pastorum potestatem facere, nec ulla ex parte, subjectioni, illis debitæ repugnare, ut in utroque scripto nostro, tùm exemplis, tùm rationibus firmissimis demonstravimus.

Pergit

Pergit Smiglecius, & ut me erroris convincat sic loquitur. *At enim*, inquit, *Volkelius, etiam stante missione irrepunt hæretici, & hæreses, quod etiam temporibus Apostolorum accidit. Fateor irrepere posse, at neq; tam facilè, nec ita, ut non deprehendantur. Nam si missionis suæ testimonium non ostendant, eo ipso suspecti doctores, & prædicatores habentur, si verò ostendant quidem, sed cum eorum, a quibus missi sunt, doctrina non consentiant, pro non missis habentur, cùm non ea lege mittantur, ut quod libuerit, prædicent: sed ut eorum, a quibus legitimè missi sunt, doctrinam, hoc est, doctrinam ecclesiæ catholicæ, quæ successione continua, ab Apostolis nunquam in ecclesia defecit, aut deficiet, doceant.* Hîc videmus Smiglecium omnes nervos contendere, ut quod ipse hac de re sentit, aliis persuadeat, sed ne hilum quidem proficit, propterea quod nec ista, quam monstrat, ratione ac via, hæresibus occurrendum esse, scriptura sancta, usquam docet, ipseque haud obscurè fatetur, fieri istud non posse, cum etiam stante missione, idque Apostolorum temporibus, hæreses irrepserint. Nec cum vero conjunctum est, quod dicit, *isto pacto non tam facilè errores irrepere posse*. Si enim unquam tantam vim hæreses repellendi in pastorum ordine fuisse volumus, certè ea tunc maximè eminuisset, cum Apostoli ecclesias pascerent. Cùm igitur iam tum multi Antichristi, ut testis est Ioannes, in mundum ingressi fuerint, quid tandem de subsequentibus temporibus, existimandum est: præsertim cum idem Ioannes, jam tum Antichristum venturum esse, ejusque spiritum in mundo versari disertissimè docent, & Paulus diserte dicat, non ita multò post, mysterium impietatis, quod ipso ad huc vivente peragebatur, in actum, eruptorum, hominemque peccatorem & iniquum revelatum iri, venturumque secundùm operationem Sathanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iis, qui pereunt. Ex quo apparet, quàm facilè quamque potenter, hæreses non irrepserint, sed irruperint potiùs, etiam stante adhuc illo pastorum ordine, tantumque abfuisse videtur, ut illi pastores ordinarii huic malo abviam ire potuerint, ut ipsi quoque ab repti, in easdemque antichristi tenebras, depressi fuerint. Generalem enim tunc a salutari veteritate defectionem incidisse, & paulò antè citatum testimonium & res ipsa comprobat. Vnde perspicuum est, frustrà insuper Smiglecium, subindè Episcoporum pastorumque ordinem & successionem nobis inculcare, ut nimirum nostri ministri, ab illis missionem ordinationemque petant, cum planè nobis persuasum sit, illos eadem cùm suo antichristo, defectionis culpâ teneri. Ne miretur igitur Smiglecius, nos malle

2. Thes. 2. 7. 8. 9. 10.

divino

divino verbo adhærere, quàm ab Antichristi satellitibus dependere. Si enim ab illis etiam, quos veriora, quàm Romanenses, docere persuasum habemus, præsertim solis, & absque universæ ecclesiæ consensu, ordinari minimè cupimus, quin imò nec eam ordinationem, quæ ab universa ecclesia fieri potest, absolutè necessariam esse ducimus: quid tandem de Romanensium missione, nos existimare Smiglecius putat? Inania igitur prorsus sunt, quæ postmodum subjungit: *Si missionis suæ testimonium non ostendant, eo ipso suspecti doctores & prædicatores habentur.* Nam præterquam quòd satis suo loco ostensum est, nostros ministros, novas doctrinas non profiteri, ideoque missione non egere, & porrò etiam missionis suæ rationem reddere minimè teneri, etiam ipse Smiglecius non obscurè fatetur, *missionem vera prædicatione destitutam, missionem non esse.* Ignoscat igitur Smiglecius, nos ab ipso aliisque Romanensibus pastoribus, missionem non petere, quia enim eos salutarem veritatem minimè tenere docereque certò scimus, ideò ex ipsius Smiglecii judicio, eos missos esse, & porrò alios mittere posse pernegamus.

Deinde cùm ait, *Missionem ostendere, & interim a vera doctrina aberrare, nihil minùs esse, quàm missionē habere,* satis luculenter docet, prędicationem non ex missione, sed ex doctrinę, quæ prędicatur, veritate aut falsitate ponderandam esse. Quod quidem nos ambabus ulnis amplectimur, cùm præsertim Apostoli eodem modo, omnes prædicatores, non quidem a solis pastoribus, sed omnibus Christianis examinandos esse doceant. Et eam quidem ipsam ob causam nusquam scriptum extat, in spirituum, aut eorum qui docent exploratione, spectandum esse, an missi ordinatiné nec ne sint: sed an ea dicant, quæ cum veritate, divinoq; verbo consentiãt. Paulus quippè etiam seipsum quantumvis Apostolum, ideoq; maximè missum, & angelum etiam cęlestem, quamvis missionis præstantiâ longè ornatissimum audiendum esse negat, si aliud Evangelium prædicet. Et Ioannes, non eum qui missus nō sit: sed qui hanc doctrinam, scilicet Christi, secum non afferat, in domum recipere salutareque fideles prohibet. Quid quòd idem non ex missione: sed ex sermone confessioneque spiritus probandos esse docet? Nec puto Smiglecium hîc terminos a me mutari, jure conqueri posse, quia nimirum non dixerit, doctores debere *ex divino verbo* explorari: sed *ex doctrina eorum a quibus sunt missi.* Sic enim in illos qui alios mittunt, magnam commoveret suspicionem, quasi nimirum non ea doceant, quæ divino verbo continentur. Quanquam non satis intelligo,

1. Tes: 5. 21.
1. Ioan: 4. 1.
Gal: 1. 8.
2. Ioan. 10.
1. Ioan: 4. 2. 3.

quomodo suspicionem illam a se suisque sociis propulsare possit, cùm mox hæc verba subjungat: *Quòd si hæc regula, deprehendendi errores non esset, quàm difficilis esset hæreses convincendi ratio. Nam quod ajunt, ex ipso Dei verbo, id quod ei repugnat perspici posse, annè omnes hæretici suos errores verbo Dei consentire, ex verbo Dei non ostendunt, quî igitur populus discernet, hos potius quàm illos verbo Dei repugnantia docere?* Hîc primùm animadvertendum est, Smiglecium suorum pastorum judicium, verbo Dei anteponere, & simul illud non verbo Dei: sed re quapiam alia niti non obscurè innuere: ut facilè appareat, istos homines non veros pastores esse, quippè qui Christi oves non verbi divini pabulo: sed suis somniis pascere velint. Nam quod fraudem, perpetuâ illâ cantilenâ obregere cogitat, omnes nimirum hæreticos suos errores verbo Dei consentire, ex verbo Dei ostendere, longè fallitur: cùm qui revera hæretici sunt, hæreses suas divinis literis comprobare nequeant, quippe quæ nullam hæresin doceant: sed quemadmodum veracissimæ sunt: ita per se nihil nisi puram putamque veritatem discipliamque tradere possunt.

Ex quo intelligitur, tantum abesse, ut qui meritò hæreseos accusantur, ii ex divinis literis doctrinarum suarum fundamenta petere possint, ut potius eam ipsam ob causam, quod hæretici sunt, illas planè rejecisse existimandi sint. *Atqui*, inquit, *quomodo populus discernet hos potiùs, quàm illos verbo Dei repugnantia docere?* Respondemus, nequaquam existimandum esse omnes illos, quos populum hîc nominat, adeò bardos a divinique verbi lectione intelligentiaque remotos esse, quin quæ illis consentanea, quæ minùs sint, animo comprehendant. Quòd si tamen sunt, qui abstrusiora Dei mysteria, præruditate percipere non possint, interim tamen salutis suæ diligentê rationem habeant, ii sine dubio, Dei auxilio implorato, omnem dabunt operam, ut si non omnia, saltem ea intelligant, quæ salutis ipsorum summam continent, reliqua illis permittentes, qui in reconditioribus cognoscendis studium operamque ponunt. Ex quo apparet, si quis de plebe salutarem veritatem manifestò sacris literis comprehensam inque omnium oculis positam, non percipiat, id non divino verbo, sed illius vel negligentiæ, vel summæ improbitati adscribendum esse. Viderunt hoc & Patres illi. Præclarè enim inquit Epiphanius in hæres: 75. *Omnia clara sunt in scriptura his, qui ratiocinatione divinum sermonem audire volunt.* Et Cyrillus lib: 9. contra Iulianum: *Nihil in scripturis difficile est iis, qui in illis versantur ut decet.* Et Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone.

phone. *Attendite iis, quæ ex sacris literis commemorabo, quæ sunt ejusmodi, ut auditione tantùm non explicatione aliqua egeant.* Et Chrysostomus in prima homil: in Math: ait: *scripturas & servo & rustico & viduæ & puero, & ei qui valdè imprudens est, faciles esse ad intelligendum & prorsus expositas.* Et Homilia tertia 2. Tes: *Omnia necessaria sunt aperta & manifesta.* Et Augustinus in Psal: 8. *Inclinavit Deus scripturas ad infantium & lactentium capacitatem.* Ex quibus omnibus apparet, quemlibet non socordem hominem, & veritatem salutarem sacris literis comprehensam cognoscere, & a mendacio discernere posse, & porrò non esse, cur res ista, ad certarum personarum judicium alligetur. Ex quo fit, ut quæ tùm de rudiorum, tùm de doctorum, in qualibet secta judicio differit, ea nullius ponderis sint, cùm jam satis demonstraverimus, etiam Patribus adstipulantibus, scripturæ sensum, quantum quidem ad salutis negotium pertinet, tàm docto, quàm indocto patere, modo ad ejus lectionem animum afferat probū & veritatis studiosum.

Nihil igitur gloriatione Smiglecii inanius est, nimirum *animum non aliter conquiescere posse, quàm si eos duces & pastores sequamur, qui ab iis, qui a Deo missi sunt, continua doctrinæ successione descendunt*, idque tùm propter jam dictam causam, tùm quod tantum abest, ut veræ Christi doctrinæ successionē isti habeant, ut planè ab ea defecerint, quemadmodum jam sæpiùs a nobis demonstratum est.

Iam quòd dicit, *Christum Petro promisisse ecclesiam in eo fundatam nunquam defecturam*, falsissimum est: cùm nec ad istum modum Dominus loquatur: sed longè aliter in aliamque sententiam, ut alibi in hoc nostro scripto docuimus. Fidem Petri minimè cessaturam fuisse, fatemur: sed id ad nescio quos successores nequaquam pertinere, alio in loco demonstratum est.

Pergit autem & ait: *Sola enim Petri doctrina, quam, Petri successores Romani Episcopi docent, hucusque eadem perseveravit in mundo, totis hic mille sexcentis annis, nec unquam interitum, aut defectionem passa est.* Atqui longè secus res habet, cùm non solùm Petrus quatenus Apostolus, & unâ cum reliquis ecclesiæ fundamentum fuit, nullum successorem habuerit, ut suo loco ostendimus: sed etiam tùm spiritus sanctus generalem defectionem, ab Apostolorum doctrina, quæ post illorum tempora eventura erat, denuncians, tùm rei exitus evidentissimè convincant, Smiglecium frustrà de re tanta gloriari.

Quæ postea Smiglecius de Ministrorum magistratu & regimine, Item de puniendis immorigeris disputat, ea quia suprà in quarto capite

fundi tùs eversa a nobis sunt, hîc frustra repetere nolo. Nisi ad hæc verba Smiglecii pauca respondenda sunt: *Quàm verò imperitè suam assertionem Volkelius tuetur eo, quòd ministri non ita gregem domini pascere debeant ut dominentur: quasi verò nemò magistratum gerere possit, nisi dominetur.* Hîc respondeo, me cùm ista scriberem, ad magistratum civilem respectum habuisse, quippe quem Smiglecius perpetuò, exempli loco inculcet, ut Ecclesiæ statum, cum Republica civili, ea in parte, quantumvis frustrà, ut docuimus, conferat, eoq; consilio ministros magistratũ nõ gerere dixi, quod vix, aut ne vix quidem ullus civilis magistratus reperiri potest, qui quamvis non absolutũ, aliquod tamen dominium sive imperium in subditos non habeat. Cùm verò Petrus expressissimis verbis, pastores a dominatu prohibeat, haud nefas esse duxi, asserere, magistratum gerere, illorum partium non esse, præsertim cùm insuper, nec titulus iste usquàm in divinis literis ecclesiæ pastoribꝰ tribuatur: nec res, quas Smiglecius eodẽ titulo significari hoc loco asserit, ad eos, præ cæteris, referantur. Ait enim: *Alioqui cùm res ita exiget, &c. voluit Christus ut* (ministri) *severè animadvertant, in delinquentes, eosque tùm excommunicent, tùm potestati Sathanæ tradant, atq; aliis pœnis coherceant.* Hæc inquam, ministrorum magistratum, non constituunt, cùm partim, ut suprà diximus, singularia sint, partim non ad solos ministros, sed ad universam Ecclesiam spectent.

1. Petr: 5. 3.

Pergit Smiglecius: *Porrò, ait, ministros & pastores cùm ex institutione divina & ratione sui officii Dei causam apud homines agant, Deique nomine nobis loquantur, an non meritò Dei legatorum personam sustinere credendi sunt? ita ut cùm Paulo meritò dicere possint: pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini cum Deo.* Respondeo: sunt fortassis nonnulli, qui hæc sobriè intellecta admittant, ita nimirum, ut haud propriè hodiernos ministros, præsertim a vera Ecclesia ordinatos, legatorum nomine intelligi posse concedant; sed propter quandam analogiam similitudinemque, quatenus nimirum legationem illam, propriè sic dictam, qua soli Apostoli ornati olim fuerant, eandem illorum doctrinam repetendo, imitantur. Id quod in propriè dictum legatum, nequaquam convenit: quippe cujus sit rem novam anteaque inauditam apud homines proponere. Verùm si maximè hodierni ministri in propriè dictis legatis habendi essent, quod tamen nos pernegamus: quid hoc quæso Pauli testimonium, ad rem, quam hîc parat Smiglecius, habet momenti? nimirum ut demonstretur, ministros talem gerere magistratum, ut soli absque ali-

2. Cor: 5. 20.

que aliis, fontes punire possint? Nihil quicquam: cùm hîc non punitionis, sed obsecrationis exhortationisque fiat mentio, qua sola legationis istius functionem contineri, ex iisdem Apostoli verbis intelligitur. Ex quo fit, ut quæ postmodum Smiglecius de spirituali ministrorum potestate (quam Volkelius neget) loquitur, nullius momenti sint. Cùm insuper satis suprà ostensum sit, hodiernis ministris neque animarum gubernationem, nec sacramenta conficiendi, nec effectivam peccata remittendi vel cæli aperiendi claudendique, item ligandi ac solvendi potestatem concessam esse, quam vis rerum istarum primam illam exploratissimamque tùm scientiam tùm pronunciationem, eamque non absolutam, sed condicionalem solis Apostolis concreditam fuisse & fateamur & urgeamus. Relegat igitur Smiglecius ea, quæ hac de re alibi diximus, & sibi de suis somniis tantopere ne placeat.

Sed jam videamus, quid præterea nobis objiciat Smiglecius: *Volkelius asserit, in ecclesia semper usitatum fuisse, ut plebs Pastorem eligeret, quod indicium est, nullam singularem in ministris potestatem requiri: sed satis esse, si a populo eligantur. Verùm considerare debuit Volkelius utrumque in ecclesia receptum fuisse, ut & populus quem maximè idoneum existimaret, Pastorem eligeret, & eum ritè consecrandum & ordinandum episcopis præsentaret.* Hîc animadvertendum est Smiglecium, multum de sua illa austeritate, ut potè veritatis vi tandem convictum, remisisse, qua nimirum, penes solos illos, ministri ordinationem esse, perpetuò asserebat, qui ipsi divinitùs missi essent, & tandem nescio quo pacto, in nostram nassam irrepsisse, qui & plebem interdum pastorem eligente eique testimonium tribuente, primariis viris assentientibus, & interdum his plebem monētibus, ministros ordinatos fuisse perpetuò urgemus. *At*, inquit, *non solùm hoc utriusque partis consensu: sed etiam manuum impositione interveniente per præsbyteros peractum fuisse.* Verùm animadvertendum est, alterum de his duobus, ut suprà diximus primævæ ecclesiæ, proprium fuisse: alterum verò omnium ecclesiæ temporum commune. Manuum impositionem quę tunc cum præsentissima eaq; aspectabili spiritus S. donatione conjuncta erat, cessâsse, res ipsa clamat, & si hodie qualiscunq; manuum impositio adhibeatur, longè alia de causa id fieri, satis suo loco docuimus: Consensum verò plebis primariorumque virorum, si quis ad ministerium ordinandus sit, etiam hodie locum habere, non pugnamus. Falsum autem Smiglecius in me testimonium dicit, dum asserit, me non alia ratione, presbyteros ab Apostolis cæterisque episcopis, constitutos fuisse dicere,

quam quia ecclesiis,ut id facerent,autores fuerint. Hoc enim ego nunquam dixi, nisi fortè in illis meis verbis, idem contineri putat: *Quanquam enim sæpè contigit,ut viri primarii,quales fuerunt Apostoli aliique, universæ ecclesiæ alicui, ad hanc rem autores esent:sola tamen Apostoli alicujus aut primarii viri, sine ecclesiæ consensu, ministri ordinationem factam fuisse,nulla ratione probari potest.* At verò quis ita cum ratione insaniat unquam,quin planè contrarium,Smiglecianæ assertioni his meis verbis contineri sentiat: cùm aliud sit sæpe contingere,ut viri primarii ecclesiæ ad ministrum ordinandum autores sint: aliud etiam,nulla alia ratione ministros eligi solitos fuisse.

Pag:34.

Iam quòd dicit, *scriptum legi Apostolos, per singulas Ecclesias constituisse præsbyteros χειροτονήσαντες, eamque vocem non necessariò populi suffragia significare:cùm etiam curia suo judicio creando magistratus χειροτονεῖν dicta fuerit*, nihil id quidem ad rem facit, cùm jam satis & per se constet, & ipse Smiglecius fassus sit, ad hæc suffragia & plebem pertinere. Quid quòd nec omni in loco,ubi ministri creādi sunt, præsbyteri adesse possunt, qui inter sese ejusmodi ferant suffragia, & porrò nihil prohibet, quominus primarius quispiam vir, unâ cum plebe hoc negotium perficiat. Quinimò id ita factitatum fuisse, ex eo perspicitur, quòd solus Timotheus Ephesi, & Titus in Creta relictus fuerat, ut ministros crearent,ut facilè appareat, siquidem ministri suffragio delecti fuerunt,Timotheum Titumque populo suffragante,ministros ordinâsse.

Ait tandem Smiglecius: *Denique Volkelius cùm quod opponeret non haberet, quasi furiis actus in Catholicos omnes invehitur,ob horrendam, ut ipse dicit,à Christi Apostolorumque doctrina,defectionem.* Ego verò & semper habui quod opponerem,& nisi Smiglecius errores suos defendere desierit, nunquam mihi deerit veritas, quam illis opponam. Nec furiis actus: sed adversariorum vicem dolens, liberiùs aliquantum locutus sum. Et certè æquissimum Smiglecioq; personâ dignissimum erat, verba mea, quæ ab optimo animo profecta erant, etiamsi errore quodam implicata essent, in optimam partem accipere, justisque ponderibus examinare potiùs,quàm in tot convicia calumniasque,Iesuiticæ professioni minimè congruentes,tam iuveniliter prorumpere. Fieri enim non potest, quin omnes cordati, ex istis, tam ferventer a Smiglecio dictis, planè perspiciant, quàm verax,quàm virili magnoq; animo,quàm denique ab anili quadam rixandi conviciandique consuetudine alienus sit. Quod ut omnibus clarissimè pateat, singula ipsius

nos ja-

nos jacta convicia percenſebimus, ac quàm poterit fieri breviſſimè repellemus. Primò igitur dicit, *nos ob inanes noſtras blaſphemias ne oculos quidem hominum ferre poſſe, & terram vix ſuſtinere, quin debiſcat.* Reſpondemus autem, nec ullius blaſphemiæ nos convictos unquam fuiſſe, nec convinci poſſe: contra verò, Smiglecio etiam atque etiam videndum eſſe, ne divinam veritatem, quam & tenemus & ſequimur, unaque cum ea ipſius autorem Chriſtum Deumque iſta convicia evomendo blaſphemet. Nec usque quaque verum eſt hominum oculos nos ferre non poſſe, tametſi enim Ieſuitis reliquisque idgenus hominibus non minori odio ſumus, quàm olim Chriſtus Apoſtoliq; illis ſcribis ac phariſæis, ideoque nos eadem cum illis fortunâ eſſe, vehementer lætamur: tamen quemadmodum tunc multi alii extitêre, qui Chriſtum ipſique adhærentes, maximâ complecterentur benevolentia, eosque divinæ veritatis aviditate turmatim ſequerentur: ita nos, non ſolùm plurimi ex vulgari hominum turba: ſed de magnatibus etiam non pauci, quamvis de religione nobis nõ aſſentiantur, optima proſequuntur voluntate. Delectantur nimirum vitæ integritate, cui ſemper ſtuduimus. Quid quòd potiùs Ieſuitas, hominum non ſolùm a Romanenſium placitis abhorrentium: ſed etiam illis maximè addictorum oculi ferre vix poſſunt, quippè quos omnium malorum, quæ in Republica accidunt, autores eſſe arbitrentur. Commemorarem hîc Galliam aliasque regiones: ſed nec rei iſtius judex eſſe volo, nec exprobrandi cauſâ iſta attingo: ſed Smiglecium tacitè moneo, ne ſtatim propter hominum odium, cauſam per ſe veram, falſitatis accuſet. Deinde dicit, *terram vix ſuſtinere, quin debiſcat.* At quàm frigidè, quàm aniliter, quàm denique impotenti parumque Chriſtiano animo, iſta a tanto viro dicantur, judicet lector. Equidem & nos, qui Ieſuitas in maximis erroribus verſari perſuaſiſſimum habemus, tales voces, emittere poſſemus, ſi Ieſuitico & non potiùs Chriſti ſpiritu duceremur, qui diſcipulos ſuos ignem de cælo, ſuper illos Samaritanos evocare volentes acriter reprehendit: *Neſcitis*, inquit, *cujus ſpiritus ſitis, Filius hominis non venit ut perderet animas hominum, ſed ut ſervaret.* Luc: 9. 55.

Pergit Smiglecius calumniari, & ait: *Vos nihil de Filio Dei eiusque divinitate creditis: nihil de ſpiritu S. nihil de immortalitate animæ.* Hæc, pace Smiglecii dixerim, a vero alieniſſima ſunt. Nam & de Filio Dei eiusque divinitate, & de Spiritu ſancto ita planè credimus, ut divinæ literæ credendum eſſe docent. Ieſum enim illum Nazarenum Dominum Deumque noſtrum, & ut Paulus loquitur, Deum ſuper omnes benedictum Ioan: 20. 28. Rom: 9. 5.

ctum esse sanctissimè confitemur, eumque divinum imperium habere
Phil:2. 10. credimus in omnia tùm cœlestia, tùm terrestria, tùm subterranea, & porrò tàm in animos, quàm in corpora hominum, ut illis jura legesq; præscribere sibiq; dicto audientes regere, juvare, defendere & præmiis tum temporariis, tum sempiternis afficere: contra verò immorigeris & pœnitere nescIis temporarias sempiternasque pœnas irrogare possit. Qua de causa & divino adorationis cultu honorandum eum esse, inque omnibus necessitatibus, ipsius opem tutò nos implorare posse firmissimè credimus magnoque animo confitemur: ut facilè appareat, quàm verè Smiglecius dixerit, nos nihil de Filio Dei ejusque divinitate credere.

Luc:24. 49. Iam quod ad spiritum sanctum attinet, credimus confitemurque, eum Dei illam virtutem esse, qua omnes qui Christo & per hunc Deo confiduntatque obediunt, sanctificantur, inque diem redemptionis
Ephes:1. 13,14. & 4. 30. obsignantur, quippè qui pignus hæreditatis nostræ sit, per quem cum
Matth: 10. 19. Mar:13. 11. Luc:11. 12. & 21. 14. Christi veritas in truculentissimorum hominum conspectu confitenda est, omnisque metus deponendus, mirum in modum confirmamur maximoque precum ardore incendimur & quasi docemur, quibus verRom:8. 26. bis, pro divina veritate propugnandum sit.

Luc:23. 46. Spiritus denique nostros in manus Domini commendamus, atque
Act: 7. 59. adeo hominis spiritum, ad eum, qui dedit, redire cum Salomone dicimus ac credimus.

Pergit autem Smiglecius aitque. *Nihil de baptismi necessitate creditis: nihil de Eucharistia, & aliis sacramentis, nihil de peccato originali, ac ne dæmones quidem esse creditis.* Hîc Smiglecius partim vera, partim falsa dicit. Vera sunt hæc: nos aquæ baptismi absolutam necessitatem & peccatum originale, quod dicitur, negare. Id autem jure a nobis fieri, cuilibet nostra scripta, his de rebus edita, non oscitanter legenti facilè patebit: Falsissimum verò est, nos neq; de eucharistia, nec de dæmonibus, eos nimirum existere, quicquam credere: cùm & cænam Dominicam celebremus, & hoc nos perpetuò, usque ad Domini adventum facere teneri: non solùm ipsi persuasum habeamus, sed etiam tùm verbis, tùm scriptis urgeamus. Dæmones nos esse non credere, nescio qua fronte Smiglecius audeat dicere, cùm nullum ex nostris salvâ conscientiâ, nominare possit, qui amentiâ ista laboret. Intelligendum quippè est, nos omnia firmissimè credere, quæ sanctis literis prodita sunt. Cùm igitur, innumeris in locis, tùm bonorum tùm malorum angelorum apertissima fiat mentio, quomodo quæso eos esse negare, nobis in mentem ve-

tem venire potuit? Præsertim cùm rei tàm manifestæ negationem, expeditissimam ad atheismum viam esse (ut nimirum qui Deum esse negaturus sit, is primùm angelos dæmonesque esse inficietur) planè statuamus. Ex his omnibus facilè apparet, Smiglecium, cùm istis calumniis hominum odium, in nos concitare instituit, se ipsum ut hominem, cujus dictis parum fidei tribuendum sit, omnium cordatorum offensioni exponere. Nisi fortè illud Smiglecium excusat, quia idem ei acciderit, quod illis evenire solet, qui iracundia abrepti atque excæcati, nihil habent pensi verané an falsa loquantur, modò odium, in aliquem conceptum saturent. Verùm an hoc pacto Smiglecius crimen istud a se removeat, judicent alii. Stomachosè enim, quamvis minus verè illum scribere, ex his insuper, ipsius verbis apparet: *Vos ergò talia hominum monstra, qui omnes quotquot hucusque fuerunt, hæreticos impietate & blasphemiis superâstis, errorum convincere ecclesiam catholicam potuistis unquam?* Stomachosa sanè, morosa superbaque oratio. Monstra enim hominum illos appellat, quorum operâ Deus Apostolicam veritatem, partim Antichristianis tenebris obscuratam, partim longo intervallo prorsus occultatam demersamque erigere atque iterum in lucem proferre instituit.

Iam quòd nos omnes hæreticos, blasphemiis superâsse dicit, eidem reprehensioni obnoxium est, cùm nec hæreseos, nec blasphemiarum convicti simus unquam. Nisi fortè hæreticum eum esse putat, qui ab Antichristianis dogmatibus defecit: & blasphemum illum nominat, qui cultum divinum soli Deo Christoque debitum ad homines mortuos inanimasque imagines, transferendum esse negat: vel qui ea affirmare non audet, de quibus sacra scriptura silet, & quæ sunt generis ejusdem. Atqui sic nec ipsa quidem scriptura sancta hæreseos blasphemiæque reprehensionem effugiet, confictis interim traditionibus similibusque fabulis, principatum obtinentibus. Quod quidem isti doctores maximè quærere videntur.

Ad extremum, quod nostra verba, de ecclesia Romana errorum convicta sarcasmo quodam excipit, minimè mirum id nobis accidit. Solent enim qui rerum potiuntur, quique mundano splendore ac robore inflati sunt, reliquos fortunâ tenuiores contemnere, suisque viribus tantoperè confidere, ut nequaquam credant se ab illis vinci posse. Falluntur tamen sæpe: cùm & illos qui infirmi obscurioresque esse videntur, Deo auxiliante victoriam obtinere constet. Quid enim, an Goliat ille Philistæus, vir inusitata magnitudine, robore firmissimo, singu-

lari rei militaris scientia præditus, non perinde Davidem, utpote pusillum, nullaq; tunc belligerandi arte commendatum hominem contempsit, ut nos Smiglecius eandem ob causam despectui ducit? attamen non Goliathum sed Davidem vicisse superioremque discessisse videmus. Extant hujus rei plura exempla, quæ brevitatis causâ, & quia Smiglecio aliisque notissima sunt, omitto. Ne quæso igitur, miretur aut molestè ferat Smiglecius, nos homines ad mundanam superbiam respectu habito, obscuros, Antichristi dogmata detegere, falsitatisque convincere posse. Adest quippe nobis is, qui ut Paulus loquitur, quæ stulta sunt in mundo elegit, ut pudefaciat sapientes, & quæ sunt infirma in mundo, ut confundat robusta, & quæ ignobiliora sunt in mundo & contemptibilia & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, aboleat, ut ne glorietur ulla caro coram eo. 1.Cor:1.27.

Ait præterea Smiglecius: *Quos verò errores vos, Catholicis objicitis, eos orbis Christianus universus, omnibus a Christo seculis pro articulis præcipuis fidei habuit, & veneratus est.* Respondemus autem hoc cum vero nihil conjunctum habere, cùm præcipui articuli, nimirum in quibus salutis nostræ summa consistit, etiam Patribus testibus, in divinis literis contineantur. Cùm igitur de his, quos paulò post enumerat, articulis, magnum scripturæ sacræ silentium sit, numeret eos, in præcipuis fidei capitibus, quicunque voluerit, noscerte tàm audaces esse nolumus: ut facilè appareat Smiglecium longè falli, qui *omnibus a Christo seculis istos errores, in præcipuis fidei articulis habitos fuisse affirmet.* Scripta enim novi testamenti, non multò post Christi tempora, ab Evangelistis, Apostolisque edita fuisse compertissimum est: & tamen tunc nemo, ne per somnium quidem de fabulis istis cogitavit. Quomodo igitur, quæso, quod hîc dicit Smiglecius constare potest. Quæ verò post generalem illam a Christi Apostolorumque doctrina, defectionem evenerunt, nullam vim habent, ad id comprobandum, quod Smiglecius hîc nobis opponit, quippè qui, ut suo loco diximus, posteriorem antiquitatem non curemus.

Pergit autem Smiglecius inquiens: *Vos sanctorum debitum cultum, per summam contumeliam idololatriam: sanctos & eorum imagines idola appellatis: vobis Christus adoratus in Eucharistia idolum est.* Hæc omnia pace Smiglecii dixerim, a vero longe absunt. Primò enim cùm debiti sanctorum cultus nomine, illorum invocationem adorationemque sine dubio intelligat, animadvertendum est, falsò hæc debitum sanctorum cultum ab ipso appellari, quippe cum non nisi Deus Christusque

nobis

nobis religiosè colendi, in divinis literis proponantur. Qua de causa & Petrus a Cornelio adorari noluit, propterea quòd non minus, quàm Cornelius homo esset: & Angelus eodem cultu a Ioanne honorari recusavit, quòd nimirum conservus Ioannis esset, & fratrum ipsius & prophetarum & eorum qui observant verba libri illius: Deum igitur adoraret. Si igitur vivi sancti cultu isto excludũtur, quid tandem de inanimis eorum imaginibus existimandum est? Cùm præsertim divino interdicto, imagines, sculptiliaque vel facere prohibeamur. Christum quoque in Eucharistia adoratum, nos idolum facere, nulla ratione comprobari potest. Aut enim ita Smiglecius in Eucharistia Christum adorari dicit, ut cænam domini celebrando, Christum divino cultu veneremur: aut sic, ut eum in pane existentem tali ratione honoremus. Iam si illud dicere voluit Smiglecius, fatemur tunc maximè Christum honorari, cùm mortem ipsius annunciando, solennes illi gratias pro incredibili ipsius erga nos charitate, agimus: si verò hoc alterũ asserit, satis jam ex nostris aliorumque scriptis, atque adeò ex isto libello nostro perspicuum est, Christum quem cæli capiant necesse est, quemque glorificatum nunc & ideò sanguinis carnisque expers corpus habere, divinæ literæ testantur, in pane eucharistico non esse, & porrò in eodem adorari non posse, & sic per summum errorem, ne quid gravius dicam, pro Christo, panem divino cultu affici.

Act:10. 25.26.27. Apocal.19.10. & 22.8. Actor:3.21. Phil:3.21.

Iam an Papa Antichristus nec ne sit, quilibet tùm ex ipsis divinis literis, quæ Antichristum suis pingunt coloribus, tùm ex doctorum hominum scriptis, quibus sacra, de Antichristo testimonia excutiuntur, facilè intelliget.

Quæ porrò de Arrio, deque concilio Nicæno dicit, ea quia ad nos nihil attinent, sibi in aliud tempus reservet: cùm nec Arrianos nos esse, satis superque non uno in loco ostenderimus, nec ab hominum conciliis, salutis nostræ rationem suspensam habeamus. Nequaquam enim nescire potest Smiglecius, nos in sola Christi Apostolorumque doctrina, divinis literis comprehensa, acquiescere. Damnaverit igitur concilium Nicænum Arrium, damnent etiam hodie Romanenses nos, & in nobis Deum, Christum ipsiusque veritatem, quantum velint, nihil id quidem curamus, modò Deum habeamus propitium, ex eorumque numero simus, quos Christus sic alloquitur: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me* &c.

Math:5.11.

At inquit Smiglecius, *non potuistis Catholicam ecclesiam loco movere, quip-*

re, quippe quam portæ inferni prævalere non possint. Hîc intelligendum est, aut propriè eum his verbis uti, aut figuratè. Si propriè, satis constat, Romanensem ecclesiã dimidiâ Europâ expulsam esse. Si figuratè, nihil certè verius est, quam ubique ferè, & quidem in ipsa Italia, illius errores adeò patefactos esse, ut nullibi desint, qui aut aniles nugas, in quibus innititur, derideant: aut maxima ex parte dogmata ipsius suspecta habeant. Neque enim existimandum est, omnes homines, adeò esse omni rectæ rationis judicio orbatos, quin inter album & nigrum, lucem & tenebras discernere possint, accedente nimirum vel modica literarum divinarum cognitione. Quid quòd ut satis jam demonstratum est, a portis inferni non superari, nequaquam longo temporis intervallo, loco non moveri significat: sed in mortuorum statu non manere. Quẽ quidem istorum verborum sensum Smiglecius eludere conatus fuit, at quàm feliciter, suo loco docuimus.

Iam quòd Patres commemorat, *eorumque sapientiam & sanctitatem mundum suspexisse ait, quibus nos comparati, pueri ac locustæ appareamus:* Respondemus primò, non protinùs illos quos mundus suspicit, tales esse, quales esse putantur. Errare enim mundum & posse & reipsa errare, si Smiglecius nescit, medeatur sensui, & videbit ita esse. Quod quidem non ita a nobis dictum existimari volumus, quasi ii simus, qui Patribus vel ingenium, vel doctrinam, vel denique pietatem defuisse existimemus: sed ut Smiglecius videat, quàm infirmas semper consecutiones constituat. Interim tamen, haud sanè diffitemur, nos patres, ipsis etiam non repugnantibus, longè infra Apostolos ponere, eosque haud aliter ac nos, ab horum institutis dependere debuisse affirmamus. Ex quo fit, ut cùm Deus, postquam ab Apostolis discessimus, nullum inter reliquos omnes Christi doctrinam sequentes, generale discrimen extare voluerit, nihili æstimanda sit, Smiglecii ista nostri cum Patribus comparatio: ut nihil dicam, fieri posse, ut & Patres, Antichristo, Dei permissu jam dominante, in multis erraverint, Deoque veritatem suam, hac ætate, in pristinam lucem restituente, multi de hodiernis Christi servis, de multis rebus, multò rectiùs sentiant, quàm ex Patribus multi.

Sed enim ut omne suum virus Smiglecius evomat, in hæc tandem prorumpit verba: *Prodiistis semel atq; iterũ in certamen fidei. Novogrodeci primùm in Litvania, deinde Lublini, at qua felicitate? Novogrodeci certè, ubi ego contra Licinium vestrum tum dimicabam, id effeciistis, ut plusquàm duodecim viri nobiles, vestris erroribus perspectis, a vobis deficerent, & ad ecclesiæ catholicæ castra transirent. Lublini verò commota errorum vestrorum lacuna, tantum fœtorem dedit, ut vos auditores cane*

pejus & angue, fuerint execrati. O verò effæminatum hominem, & præ anili iracundia, quid loquatur minimè cogitantem. Tamné parum de tua existimatione laboras, Smigleci, ut quæ manifestò falsa sunt, miseris tuis chartis, iisque in lucem editis committere non verearis? Disputâsti Novogrodeci duos dies cum Licinio. Primò die tesophisten præbuisti impudentem, scripturæque sanctæ, quæ adducebas testimonia ad tuam tuorumque opinionem, ita per vim quandam detorquendo, ut etiam illis, qui alioqui a tua causa stabant, non omnibus satisfaceres, idque interim non impunè nec tacente Licinio, sed tuas conclusiones subinde absurditatis convincente. Postero verò die, opponente Licinio, nihil aliud crepabas, quàm duarum in Christo naturarum distinctionem, quam & vanam & falsam esse, evidentissimè tunc demonstrabatur. Illud verò, ignosce mi Smigleci, insignem calumniam continet, quod ea disputatione effectum esse ais, ut plus quàm duodecim viri nobiles a nobis defecerint, & ad vestra castra transierint. Aliter enim esse exploratissimum habemus, & non dubitamus, quin, si ita ut dicis, esset, eos nominâsses. Quod cùm non feceris, agnosce tuam culpam, & in posterum cautior esto. Lublini quoque nostros homines unquam vestris disputationibus succubuisse, præter vos, nemo asserit. Non desunt certè tùm Lublinenses cives, homines integerrimi, tùm nobilissimorum virorum non pauci, quamvis partim vobis, partim Evangelicis addicti, qui nostris hominis in diluendis sophismatis vestris magnam tribuant felicitatem. At inquit, *auditores vos cane pejus & angue sunt execrati.* Respondeo, id de omnibus auditoribus dici non posse. Quod si homines vulgares, rerumque divinarum imperiti, istud fecerunt, quid hoc quæso ad nos falsitatis convincendos, virium habere potest?

Caput VIII.

IN hoc capite nihil aliud agit Smiglecius, quàm ex iis, quæ partim dixerat, concludere nititur, nostros ministros omninò debere missionis suæ rationem reddere. Cùm autem nos istius conclusionis præmissas partim falsas esse, partim ad rem qua de agitur, nihil facere, jam satis demonstraverimus, fit ut eandem conclusionem in fumum abire oporteat. Præmissæ autem rationes, quas hoc loco repetit, sex potissimùm erant. Prima quòd S. literæ missionem requirant; hoc autem falsum esse supra ostendimus, cum illos dispersos aliosq; citra ullam missionem summa cum laude divinum verbum prædicâsse: spiritumque 1.

sanctum ministri partes enumerando, nullam missionis mentionem fecisse, atque adeo missioni hodie nullum locum esse ostenderemus. Secunda, quòd ministerium sit sanctum Spiritualemque ac divinam potestatem in se contineat: sed & ista supra in capite quarto repulimus. Tertia, quòd potestas pastorum sit, prædicatores probare, falsosque arcere, & bonos probatosque admittere: Verùm & hoc supra refutavimus, cum eam rem omnium Christianorum communem esse doceremus. Tertulliani autoritate, ad rem scripturæ testimoniis minimè comprobatam, imò ut ostendimus, ei magna ex parte contrariam, amplectendam, cogi non possumus. Ad id quoque quod quarto loco ponit Smiglecius, nimirum non missis credi tutò non posse, satis supra responsum est, cap: 2. ad quod Smiglecium remitto: Quanquam istam consecutionem vitiosam esse, ex hac altera eidem opposita intelligi potest: nimirum. *Missus est. Ergo ei credendum est.* Quam quidem supra ipse Smiglecius reprehendit pag: 37. inquiens. *Si ostendant quidem missionem: sed cum eorũ, a quibus missi sunt, doctrina non consentiant, pro non missis habentur.* Quo in loco apertè concedit Smiglecius, posse fieri, ut qui missus est, mentiatur. Qua de re, cùm plura eodem in loco dixerimus, actum hîc agere nolumus. Quinta ratio, qua necessariam missionem pastorum concludit Smiglecius, est, quòd auditores illis obedientiam debeant. Verùm cùm obedientia, non ad missionem exque hac profluentem aliquam potestatem: Sed Dei Christique disciplinam, in qua ministri auditoribus præeunt, spectet, ut supra uberius a nobis ostensum est, parumne liquet, Smiglecium hîc nihil agere? Ait autem: *Quòd si ut Arriani volunt, auditorum arbitrio pastores constituuntur, eorundem arbitrio etiam tollentur. Quo circa & pastores arbitrarii erunt, & obedientia arbitraria.* At verò mi Smigleci, nõ simpliciter auditorum arbitrio ministri ordinantur: sed ex ea parte, quatenus una cum aliis viris primariis, in iis ea esse vident, quibus ministerii partes continentur, nimirum & divinæ veritatis cognitionem, eiusque proponendæ dexteritatem, & vitam cum pietate traductam. Ex quo consequitur, nec simpliciter auditorum arbitratu eos officio deponi posse: sed quatenus ea, quibus functio ista continetur, non amplius habent: ut facilè appareat, nec obedientiã, eo, quo Smiglecius vult, pacto arbitrariam esse: cùm ea, præter iam dictam causam, non ex ministri persona: sed ex divino verbo, a ministro prædicato, dependeat. Dei autem verbis, qui ipsius sunt metuentes salutisque æternæ cupidi, vel obedire, vel obsistere sibi liberum esse nequaquam existimabunt. Quanquam alioqui, cum homo voluntatis li-

tatis libertate præditus sit, non solùm obedientia erga ministros, sed ipsum etiam Deum arbitraria dici potest. Postremò non veritus est Smiglecius, fœminas dæmonesque rursus in medium proferre: Verùm lectorem ad ea quæ suprà ad ista respondimus rejicere, quàm iterum ineptias istas exagitare malumus.

Ex his omnibus intelligi facilè potest, quàm frustrà Smiglecius, ante tamen victoriam, triumphet, dum *Volkelium omne ministerium evertere dicit, ministros nec missos esse, nec pro missis se gerere affirmando:* quippè cum evidentissimè ostensum sit, ad ministerium constituendum satis esse, si qui ei præficiuntur, omnia habeant, quæ extra omnem missionem Paulus Apostolus ab illis requirit. Tum demùm autem verum futurum est, quod de histrionica, regum, judicum, consulum absque potestate his conveniente, electione dicit, cum nostros ministros, iis, quibus ministerii ratio continetur, destitutos esse demonstraverit. Ex quo apparet, longè firmiora argumenta afferenda fuisse ad Anonymum Volkeliumque refellendum, quàm quibus Smiglecius hactenus usus fuit: tantum abest, ut vera illius hæc verba existimanda sint. *Ex iis quæ hactenus de necessitate missionis docuimus, & argumentum Anonymi per se concidit, & Volkelii præsidia ruunt.* O miseram victoriam & vanam sine viribus iram. Sed reprimo me, & tandem ad decem Smiglecii demonstrationes pervenio, quas quidem tametsi non demonstrationes, sed inanissima Sophismata esse, satis in nodi dissolutione ostendimus: cùm tamen demonstrator iste, novis eas fallaciis fulcire nitatur, videndum tandem, quàm feliciter id faciat.

Caput IX. A Smiglecio sic inscriptum:

Examen primæ demonstrationis, qua probatur, ministros Evangelicos ob defectum vocationis & missionis non esse legitimos ministros.

Quicunque non est legitimè vocatus & missus, non potest esse legitimus minister.
Ministri Evangelici, non legitimè vocati & missi.
Non sunt igitur legitimi ministri.

Hujus Syllogismi tùm formam tùm materiam reprehendemus. Formam, quòd Smiglecius ex puris negativis sum assertionem concludere voluerit. Respondet ipse, *me Syllogismum ex medio termino negato, cum*

gato, cum eo qui est ex puris negativis, confundere. Nam si medius terminus sit negativus, inquit, *minor propositio, quamvis negativè enuncietur, ex vi tamen formæ, in affirmativam resolvitur. Aliter nec ipse Aristoteles reprehensionem effugeret, quia plurimas ejus modi demonstrationes habet. ut cùm demonstrat, Planetas non scintillare, quia non admodum distant*, hæc Smiglecius. Respondemus autem eum valdè errare. Nequaquam enim ita in re dialectica peregrinamur, ut interdum ejusmodi negationes in prima figura admitti ignoremus. Verùm tunc id fieri omnes logici docent, cùm subjectum minoris, in subjecto majoris includitur. Primæ quippè figuræ formalis dispositio procedit a genere ad speciem: ut facilè appareat, Syllogismos, in quibus contra fit, præterquam quòd materiam plerumque falsissimam continent, vitiosè formari, & sic horum utroque concurrente, in minore longè aliam atque in subjecto majoris negationem esse. Tunc enim minor, non propter assumptionem & inclusionem in subjecto majoris, sed absolutè & per se negans est. Quis enim, verbi causâ, hunc Syllogismum admittat? Quicquid non est animal non sentit. Asinus non est animal. Ergo asinus non sentit. Vt enim de materiæ falsitate, quæ manifestissima est, nihil dicam, quis non videt, asinum, sub eo quod animal non est, minimè comprehendi, & sic formalem primæ figuræ dispositionem violari, minoremque propter subjecti cum medio termino summam disconvenientiam, ut sic dixerim, simplicem absolutamque continere negationem. Eodem planè modo, & de hac Smiglecii demonstratione judicandum est. Nam subjectum minoris, nimirum *Ministri Evangelici*, in subjecto majoris, quod est, *Quicunque non est legitimè vocatus ac missus*, nequaquam continetur: cùm manifestissimum sit, nullum Evangelicum ministrum, in medium afferri posse, qui ordine in sacris literis præscripto, huic muneri præfectus non sit. Ex quo simul apparet, ut de materia argumentationis istius pauca dicam, minorem esse falsissimam, & sic non demonstrationem, sed pseudographum Syllogismum hîc Smiglecium construxisse. Dixeramus hæc eadem ferè in nodi dissolutione. Smiglecius autem directæ responsionis loco nos Evangelicorum causam malè tueri dicit, aliquotque tùm Lutheri, tùm Calvini sententias affert, quibus ministrorum vocationem necessariam esse, ad ministeriique essentiam pertinere asserunt. O hominem acutum, eorumque quæ in scripti nostri initio dixera-
» mus, benè memorem: Intelligendum nimirum esse, Smiglecio jam
» non cum illis Evangelicis rem esse, qui cum ipso facientes, missionem

planè

planè ad ministerii functionem necessariam esse asserunt. Sed cùm iis, qui ut ministerii officio quispiam rectè fungatur, non missionem, sed ea maximè requiri affirmant, quibus ministerii essentia, naturaq; continetur. Quapropter minimè mirum, nec Smiglecio, nec aliis accidere debet, nos iis, quæ ad nos nihil pertinent, præteritis, Evangelicis illis, quibuscum Smiglecius in disputationis arenam descendit, causæ suæ defensionem permittere.

Ex quibus nostris verbis, nemo non intelligit, nos Evangelicos istos nequaquam tueri, nedum malè tueri. Dicet fortassis, nos evangelicos hoc ipso tueri velle, quòd eos legitimè vocatos esse asserimus. Hîc primùm respondeo, Smiglecium, per summam audaciam temeritatemque id affirmare, de quo an verum nec ne sit, ipsum dubitare necesse est. Quia enim jam satis constat, quorum Evangelicorum causam tuendam susceperimus, qua fronte Smiglecius verba nostra ad illos Evangelicos detorquere audet, qui cum ipso sentientes missionem planè necessariam esse asserunt? Dubitare autem Smiglecium quibus de Evangelicis hoc loco verba faciamus, ex illis ipsius verbis patet, pag: 48. *Cùm Volkelius ait, ministros Evangelicos esse legitimè missos, modo in scripturis præscripto, peto de suisne ministris Arianis id intelligi velit, an de Lutheranis & Calvinianis?* &c. Deinde fac nos etiam aliis Evangelicis legitimam vocationem tribuere, num hoc protinùs eos defendere fuerit, in ea præsertim re, de qua hoc loco agitur, nimirum missionis absoluta necessitate, vel an hoc malè aliquem defendere est, si eam ipsius causam, quæ justa est, tueamur, quæ verò minimè, ejus patrocinium nequaquàm suscipiamus. Satis quippe nobis fuit, assumptionem miseræ istius demonstrationis, sive nobis sive aliis Evangelicis oppositam falsam esse docere. Vocationem enim legitimam istis etiam Evangelicis ministris rectè tribui, vel ex illis ipsis Lutheri Calviniique testimoniis constat, quæ Smiglecius magnam partem, contra seipsum attulit. Perspicuum igitur est, Smiglecium præter falsò in nos dicta, ea etiam dicere, quæ ad quæstionem propositam nihil pertinent. Scripserit Lutherus, scripserit Calvinus, scripserint etiam alii multi his præstantiores, de missionis necessitate, quicquid voluerint, quid hoc quæso ad nos, qui non humanis: sed divinis testimoniis convincendi sum?

At inquit Smiglecius, *Lutherus tùm scripturis tùm bonis rationibus confirmat vocationem & ordinationem ita requiri, ut sine iis ministerii essentia constare non possit. Primùm quòd Deus ne filium quidem sine testimonio missionis venire in mundum voluit, ita ut miraculis suam mis-* 1.

sionem comprobare debuerit. Paulus verò toties vocationem suam commemorat, a Deo non per hominem fuisse, ut suæ prædicationi fidem & autoritatem testimonio suæ missionis conciliaret. 2. Secundò quòd alioqui omnibus hæreticis spiritum S. habere se jactantibus fides adhibenda esset: ii siquidem omnes ex scripturis se vera docere prædicant. 3. Tertiò quia officium nemo gerere potest, sine mandato, aut vocatione. 4. Quartò omnia inordinatè fierent in ecclesia, si ministri eo solo quòd a plebe eliguntur, & conducuntur, crearentur. Has quatuor consecutiones Smiglecius ex Lutheri Calviníque dictis extruxit, ad quas singulas respondebimus.

Primò igitur hanc consequentiam ineptissimam esse dicimus. *Christus, Paulus aliíque Apostoli missi fuerunt. Ergo absque missione ministerii essentia constare nequit:* cùm iam sæpius demonstraverimus, ad res novas, inauditasque prædicandas missione opus esse, ad easdem verò repetendas minimè.

Secunda quoque nullius momenti est, nimirum hæc: *Missio non est absolutè necessaria. Ergo omnibus spiritum S. se habere jactantibus fides adhibenda est, quia nimirum omnes ex scripturis vera se docere prædicant.* Satis quippè est, eorum doctrinas ad scripturæ perpendiculum examinare, ut suprà ostendimus.

Tertia similiter nullius precii est: *ideò nimirum sine missione neminem ministerio fungi posse, quia sit officium:* cùm & charitas quæ in aliis docendis admonendisque maximè cernitur, officium sit, a nobisque citra ullam missionem præstari debeat. Nec obstat, quòd ministerium publicum officium sit, cùm ad illud rectè obeundum satis sit, hominem ei habilem, publico omnium consensu, eligi atque ordinari.

Quarta denique hæc inanissima est: *ministri eo solo creantur, quòd a plebe eliguntur, & conducuntur: Ergo omnia inordinatè fiunt in ecclesia.* Antecedens enim Calvino Lutheroque affictum falsissimum est: quippe qui ad illum modum non loquantur: nec ulla ratione comprobari potest, ministros nostros ex ea parte creari, quatenus a plebe eliguntur. Tametsi enim hoc sine plebis testimonio fieri negamus: tamen non penes plebem solùm: sed maximè etiam penes viros primarios, & sic totam ecclesiam, ministrorum ordinationem esse, satis in priore scripto nostro docuimus, pag: 34. 35. 36. 37. ut facilè appareat, prorsus anile esse summamque hominis istius levitatem arguere, quòd ministros nostros *a plebe conduci ad ministeriumque admitti, sicut mercenarios ad labores, dato precio asserit: idque ideo, quia nec ullam eis spiritualem potestatem conferant, nec ut conferatur, necessa-*

rium

rium putant. Egregiam verò argumentandi rationem & gravi doctoque homine dignam, qua concluditur, protinus mercede conduci, & sic mercenarium esse eum, qui miraculosam quandam potestatem, ad nostra tempora minimè spectantem non habeat: interim verò ad docendum sit aptissimus, vitamque vivat honestam ac piam,& sic omnia possideat, in quibus ministerii essentia consistit. Quasi verò fieri non possit, ut qui talis est, nullo præmio terreno proposito, solo autem divinæ gloriæ studio incensus, hunc ministerii laborem suscipiat. Id quod a ministris nostris fieri,ex eo perspicuum est,quòd verbum divinum administrant, apud homines pauperes, qui nullos in eos possunt conferre pagos, nullos fundos, nullam opum pecuniæque abundantiam,eamq; ob causam multi ministri,loco mercedis, sua perdunt, dùm divinæ gloriæ ecclesiæque prodesse student. Adde quòd nec missas illas, nec sepulturas, nec sacramenta, nec alia sexcenta venalia habent: nec ullas decimas aut pecuniæ summas ab auditoribus suis extorquent. Quæ omnia si a Romanensibus sacrificulis minimè fiunt, non est quòd metuant,ne mercenarii meritò appellentur.

Vrget tamen Smiglecius,si diis placet, Volkelium,eumque *non solùm evangelicorum causam,malè tueri: sed etiam sibi ipsi repugnare asserit. Etenim cùm ait Ministros evangelicos esse legitimè missos modo in scripturis præscripto, aut de suis ministris id intelligi vult, aut de Lutheranis, & Calvinianis. De suis si intelligi velit, secum ipse pugnat,cùm toto hoclibro nihil aliud crepet, quàm suos ministros nulla missione egere. Quòd si de Lutheranorum Calviniſtarumque ministris id intelligi vult, iterum secum pugnabit. Nam si modus,quo ministri Lutherani & Calviniani mittuntur, est in scriptura præscriptus, falsum erit,quod toties asserit Volkelius,nullo scripturæ testimonio missionem necessariam esse ostendi posse,errareque gravissimè Arianos, cùm modum missionis in scripturis præscriptum,in suis ministris,non observant. Si verò talis modus non sit in scripturis præscriptus,falsum erit quod asserit, ministros evangelicos, modo in scripturis præscripto,esse legitimè missos.* Hîc quantum videmus,Smiglecius sibi de suo acumine valdè placet, & tantùm non exultat atque triumphat. Nos verò summam hominis & penè puerilem exilitatem satis mirari non possumus. Quid enim? an ea tantùm præscribi possunt, quæ absolutè sunt necessaria, omnesque omnium ætatum homines obstringunt?quæ verò utilia aut secundùm quid necessaria ad tempusq; duratura sunt,nequaquam? Item quid prohibet,quo minus verbum *præscribendi* interdum ita usurpetur, ut non præcipere aut mandare.

dare: Sed quo pacto quippiã aut factum ab aliis sit, aut a nobis fieri possit, ostendere significet? Præterea si maximè verbum istud præcipiendi vim habeat, nequaquã necesse est, ut semper simpliciterq; mandare significet, cùm id cõdicionaliter fieri possit, quasi dicatur: si hodierna ecclesia voluerit aliquẽ propter certas causas, ministerio præponere, eũ ritũ, quo ad ejus fieri poterit sequatur, quẽ primitiva ecclesia servavit.

Ex quo intelligitur frustrà Smiglecium tantas ingenii sui vires intendisse, ut me mihi ipsi adversari ostenderet, sive nostris sive aliorum evangelicorum ministris vocationem, (non autem missionem propram, ut me loquentem facit) absolutè necessariam esse negem.

Pergit Smiglecius, & jam non disputatorem, sed concionatorem agens, primò dicit, *duplicem missionem in sacris literis præscriptam esse: immediatam unam, mediatam alteram, hancque tanti à Deo fieri, ut quos per seipsum vocat, eos ad Ecclesiam, ejusq; ordinarios pastores remittat, eorumque potestati ipsos subjiciat.* Item: *Tametsi per seipsum, sive alio quovis adminiculo, vel etiam per angelos regere suam ecclesiam posset: malle tamen per homines, complures ob causas, id efficere, quorum alios dederit Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Ex his omnibus tandem colligit Smiglecius, dubitari non posse, quin potestas mittendi seu creandi pastores ministris relicta sit, cùm ea sit magna pars regiminis ecclesiæ, & porrò Volkelium imperitè dicere, ad mediatam missionem non requiri, ut ministri mittantur & creentur, ab iis, qui ipsi divinitùs missi sint. Respondemus primò ista omnia partim falsa esse, partim ad rem propositam nihil facere, & sic Smiglecium scopas dissolutas nobis objicere. Falsum est, scripturam nobis missionem immediatam & mediatam præscribere, præsertim si de Christi ministris oratio habeatur, ut hoc loco fieri necesse est. Missio enim propriè loquendo, non nisi illis, a sacris autoribus tribuitur, qui res novas Dei Christivé jussu in medium proferunt, & porrò illis, qui sese hoc facere, minimè profitentur, nulla ex parte competit. Qua de causa illi, qui ad semel traditam Christi Apostolorumque doctrinam, aliis proponendam apti sunt, Ecclesiæque præficiuntur, non quidem *mitti*; sed *constitui* dicuntur. Mihi quoque falsò affingit verbum *mittendi*, cùm eo nunquam utor. Deinde quòd dicit, Deum tanti mediatam missionem facere, ut illos etiam quos per seipsum vocat, ad ordinarios pastores remittat, eorumque potestati subjiciat, id quidem exemplis a Smiglecio allatis confirmari non potest. Exempla autem duo producit, Ananiæ nimirum ad Paulum missi: & Angeli Cornelio apparentis Pe-

Tit. 1. 5.
Act. 14. 23.

Act. 9. 10. & 22. 12.

trumque accersi jubentis. Ad Ananiam quod attinet, primùm dico, eum pastorem, alicui Ecclesiæ præpositum fuisse, probari nulla ratione posse: cùm simpliciter discipulus tantùm virque pius secundùm legem nominetur, omnium Iudæorum testimonio ornatus. Quòd si dicat Smiglecius, non sequi, quia eum pastorem fuisse, scriptum non legitur; idcircò eum pastorem non fuisse, intelligendum est, me hoc in loco, non argumentari, sed Smiglecio argumentanti respondere, & porrò satis habere, Smiglecium turpissimæ principii petitionis convicisse, quippè qui quod asserit, probare non possit. Non putaverim autem, Smiglecium hîc tergiversari velle, ut nimirum Ananiam immediatè ad Paulum missum fuisse dicat. Hoc enim duplici de causa ad rem propositam nihil faceret. Primò enim constat, inter nos de ea missione quæri, qua quis ad prædicandum Evangelium legatur, quæque planè generalis est. Ananias verò aliam eamq; singularem ob causam ad Paulum mittebatur, nimirum ut ei manus imponeret, & sic Paulus visum reciperet, spirituque S. impleretur. Deinde Smiglecio hoc loco propositum erat docere, Paulum qui jam immediatè a Christo missus erat, subjectum fuisse Ananiæ, quantumvis mediatè misso: ut nimirum omnibus pateret, quanti Deus mediatam missionem faceret: quo pacto igitur ista, vel inter se convenirent, & non potiùs turpissimam contradictionem implicarent, vel quacunque tandem ratione, ad rem propositam facerent, ego quidem non video: præsertim si unus immediatè missus, ad alterum immediatè missum remitti eique subjici diceretur. Explicet nos atq; adeò seipsum, Dominus Doctor, ex hac difficultate, si potest. Adde quòd non simpliciter Ananias mittebatur ad Paulum instruendum & erudiendum, ut nimirum viam Domini nosset, (quemadmodum Aquila & Priscilla Apollinem, eandem edocuêre) nedum illius potestati Paulus subjectus fuerit. Sed ut ipsi indicaret, quid Dominus Iesus de eo decrevisset. Id quod sine ulla Ananiæ potestate, cui Paulus subjectus fuerit, & fieri potuisse & factum fuisse manifestum est.

Alterum nimirum angeli exemplum, qui Cornelio autor fuit, ut Petrum accerseret, similiter, ad hoc Smiglecii commentum stabiliendum, nullam vim habere ex eo perspicitur, quod tàm Petrus quàm Angelus, immediatè missus fuit, & ideo aliam causam subesse oportuit, cur Angelus Petrum a Cornelio accersi voluerit, quàm quia Petri potestati subjectus esset, nimirum quia, ut ipse Smiglecius fatetur, Deus per homines, quàm per angelos, ea in re, nobiscum agere malit. Quod quidem an planè cas ob causas Deus faciat, quos Smiglecius percenser, Act. 10. 5.

hoc in loco, exquirere nolo, cùm id ad propositum nihil quicquam pertineat.

Eph:4.10.11. Sed quoniam Smiglecius, ex eo, quòd Christus in cælum ascendens omnia implevit, aliosque Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios doctores & pastores &c. dedit, duo concludit: nimirum tùm iisdem etiam potestatem ministros mittendi relictam a Christo fuisse; tùm Volkelium imperitè dicere, ad mediatam missionem non requiri, ut ministri mittantur, & creentur ab iis, qui missi sunt, videndum quàm rectè id ab eo fiat. Primùm igitur, nequaquam consequens est, ut quia Christus, omnia complendo, varia in primæva illa Ecclesia dona distribuerit, ideò potestatem mittendi ministros, tunc illis, quos iisdem donis ornaverat, dederit: cùm rei istius ne tenuissimum quidem vestigium, isto in loco appareat, & donorum illorum varietas, non ad aliorum ministrorum missionem spectaverit, sed ad illa, quæ Paulus ibidem commemorat, *nimirum ad sanctorum perfectionem: ad opus ministerii: ad ædificationem corporis Christi*, id est, ut illi qui jam Evangelicâ doctrinâ collustrati, & ab aliis separati erant, perfectiores evaderent, & Evangelii ministerium, ista officiorum varietate, & sic mutuis auxiliis, tantò commodius perageretur, & denique Christi ecclesia sive Christiana respublica in quàm optimo statu collocaretur. Ex quo fieret, ut omnes doctrinam, quam Christus per varios istos ministros suos tradidit, firmiter tenentes, in unum quasi hominem ratione unius fidei Christique agnitionis, eumque perfectum evaderent, nec puerorum more, quovis doctrinæ vento commoverentur. Hæc omnia inquam, citrà ullam missionem, ab omnibus fieri posse, qui salutarem Christi veritatem semel in primitiva illa ecclesia, per Christi servos, isto in loco enumeratos traditam amplexantur, ab eaque ne latum quidem unguem discedunt, luce meridiana clarius est. Ex quo apparet istam mittendi ministros potestatem, huic divino testimonio, quasi heterogeneum quiddam, assutam esse, & sic nullo modo, ex eo colligi posse.

Smiglecius verò, *Ideo Christum varios istos ministros constituisse, ait, ut regerent ecclesiam: cùm autem istius regiminis, potestas ministros mittendi, maxima pars sit, consequens esse, & hanc illis datam fuisse.* Hîc respondeo, Smiglecium dupliciter id petere, quod in disquisitione positum est. Etenim nec potestatem mittendi ministros, propriè loquendo, pastoribus datam esse: nec porrò eam regiminis istius maximam principalemque partem esse probabit unquam. Fatendum quippe est,

eam

eam rem ejusdem regiminis maximam partem esse, quâ sublatâ aut absente, illud consistere non potest. Cùm autem pastores ita ecclesiam regant, ut eam pascant, in officioque contineant, hocque citra alios mittendi potestatem perpetuò ab illis fieri possit, parumné liquet, eam regiminis istius maximam partem non esse. Adde quòd, si Smiglecius id dicere voluit, quod ad rem facit, necesse est, eũ maximę partis nomine, id intellexisse, quod ministrorum sit proprium: præsertim cùm alibi asserat, ministros ab iis mitti debere, qui ipsi divinitùs missi sint. Quod quidem falsissimum esse, in priore scripto nostro planissimum fecimus, evidentissimè demonstrando, ministrorum non quidem missionem, sed constitutionem ordinationemque, non a solis pastoribus, sed a tota ecclesia factam fuisse. Adde quod nihil est, quod suadeat, Paulum in loco citato, ullam ministrorum constitutionis rationem habuisse, quæ ab episcopis Senioribus ecclesiæ Asianæ fiat: Contra verò ut & sibi ipsi & ecclesiæ attenderent, eamque a lupis defenderent, sedulò monuisse, videmus. Quorsum igitur attinet, præter Apostoli mentem regimen istud ad ministrorum missionem detorquere? Ex his quæ diximus intelligitur, ministrorum vocationem, quantumvis rem laudabilem, utilem, & non minima ex parte necessariam: non tamen ministerii essentiam constituere, aut ejusdem interiorem aliquam partem esse: sed certis de causis, sæpissimè memoratis, extrinsecus adhiberi.

Verùm enim verò, ut Smiglecius ostendat, ex hoc Apostoli testimonio, ministros mittendi potestatem necessariò colligi, ita unam ejus partem profert, ut ei de suo illud addat, quod ipsius causæ maximè suffragari videbatur. Dicit enim: *Donec omnes concurramus in unitatem fidei, & impleatur numerus fidelium, ab ipso ab æterno præfinitus.* O hominis audaciam summamque impudentiam, qui, ut, quod vult efficiat, inanissima sua somnia, divino verbo admiscere, spiritumque Sanctum, ad divina mysteria rectius, si diis placet, enucleanda instituere non dubitat. Quę quidem ipsius temeritas aliqua saltem ex parte toleranda esset, si ulla ratione probari posset, Deum certum hominum numerum ad sempiternam salutem destinâsse, & non potiùs omnes homines salvos fieri velle. Qua de re cùm alibi a nostris hominibus uberrimè disputatum sit, nolo hîc morari. Iàm enim tempus est, ut alteram ipsius conclusionem, ex hoc Pauli testimonio extructam, inspiciamus, nimirum, Volkelium imperitè dicere, ad mediatam missionem non requiri, ut ministri, ab illis mittantur, qui ipsi sunt missi. Sed ecce sua sponte corruit ista consecutio. Cùm enim ex hoc loco, ut

vidimus,

vidimus, ista potestas ministros mittendi, colligi non possit, quomodo hîc Volkelius imperitiæ convincetur, qui mediatam missionem ex missis necessariò pendere neget? Nec malè habere debet Smiglecium, quòd Volkelius, contrà omnem scripturam asseri dicit, ad mediatam ministrorum vocationem opus esse, ut ab iis mittantur, qui ipsi divinitùs missi sunt. Ipse enim Smiglecius, quantumvis tacitè, fateri videtur ita esse: cùm nullum canonem, quo id fieri præcipiatur, in medium proferat, sed tantùm exempla eorum in scripturis haberi asserat, qui a divinitùs missis vocati fuêre, eaque non planè causæ suæ suffragantia. Nam non solùm, ut suo loco docuimus, a solis sive Apostolis, sive horum sociis, absque ecclesiæ consensu, id factitatum minimè fuit: sed etiam nusquam scriptum extat, eos divino mandato, ad hoc faciendum compulsos fuisse. Quod enim nihilominus ecclesiis consentientib⁹ oppidatim illis pastores pręposuerunt, id Smiglecii causam nihil juvat: Cùm hîc, non quid illi fecerint, quæratur: sed an locis paulò antè citatis, aliisvé scripturæ testimoniis, illos omninò hoc facere debuisse convinci possit. Quod quidem nos pernegamus, cùm præter ea, quæ jam a nobis dicta sunt, longè aliam rei istius causam habere potuerint, nimirum quia res ipsa postulabat, ut ad ἀταξίαν vitandam, decus contrà ordinemque servandum, singulis ecclesiis, præsertim oppidatim collectis, pastores senioresque (non tamen absque auditorum testimonio atque consensu) præficerentur. Verùm quid hoc ad Volkelium imperitiæ convincendum virium habet? cùm istis exemplis, non quid necessariò semperque fieri debeat: sed quid factum sit fierique absque crimine potuerit, doceamur?

Dico autem tunc id factum fuisse, fierique potuisse, ut nimirum, qui ipsi divinitùs missi erant, alios eo, quem diximus, modo, ecclesiis præficerent: quod hoc tempore, idem planè, nequaquam fieri posse videtur, nedum fieri debere, aliqua scripturæ autoritate comprobari queat. Vbi enim hodie sunt Apostoli? ubi vates? ubi Evangelistæ? ubi pastores doctoresque tales, quales tunc Dominus Iesus miraculoso modo ecclesiæ dederat? ubi patrantes miracula & virtutes? ubi variis morbis subitam miraculosamque medicinam afferentes: & porrò ubi sunt illi, qui sese non solùm divinitùs missos esse, sed etiam alios mittendi divinam potestatem accepisse, indubitatis argumentis confirmare possint? Nos quidem neutrum dari posse persuasissimum habemus.

Frustrà igitur Smiglecius suam suorumque tum missionem, tùm mitten-

mittendi facultatem, tot verbis commendat, cùm nequaquam ita hebetes ad intelligendum simus, quin nihil illis in esse videamus, quod rei istius probandæ vim aliquam habeat. Cùm enim, ut antea docuimus, non nisi unum mittendi genus dari possit, nimirum, quòd ad res novas annunciandas institutum est, ipsique Romanenses sacrificuli sese res novas anteaque inauditas prædicare nequaquam dicant, qua fronte, quæso, sibi missionem arrogant? & porrò quomodo alios mittere possunt? Hîc verò ita elabi conabuntur, ut tùm non immediatam sibi missionem se tribuere dicant: tùm successione, & missionem, & missionis potestatem, sibi obvenisse asserant. Vtrumque autem falsissimum est. Primò enim mediatam missionem, sacræ literæ non agnoscunt, quamvis ministri salutarem Christi doctrinam rectè tenentis, ad eamque proponendam apti constitutionem maximè approbent. Deinde Romanenses sacrificulos tales esse constanter negamus, cùm eos salutarem Christi doctrinam minimè tenere, imò ab ea defecisse, tùm antè nos, multi viri pietate doctrinaque præstantissimi: tùm nostri homines, nosque adeò ipsi, qui cum Smiglecio hac de re dimicamus, evidentissimè demonstraverimus. Tantum igitur abest, ut isti mediatam missionem habeant: ut ne legitimam quidem constitutionem, jure sibi vendicare possint, quippe cùm ad ejus essentiam salutaris Christi veritatis cognitio, ejusdemque aliis tradendi dexteritas planè pertineat.

Iam quod ad successionem attinet, qua missio missionisque potestas ad istos homines derivata sit, ex iis quæ paulò ante diximus, eam planè nugatoriam esse facilè intelligitur. Cùm enim nec illos primos ecclesiæ ministros mittendi potestatem habuisse probaverint, illis nimirùm testimoniis quæ Smiglecius adduxerat, & insuper, nec mediatam missionem nec legitimam ordinationem seu constitutionem istos habere demonstratum sit, quomodo, quæso successione ad eos translata est? Quod idem & de mittendi potestate sentiendum esse, omnes sani intelligunt. Ex quo perspicuum est, etiam illud falsissimum esse, quod Smiglecius *fidem in se suosque socios successione derivatam esse ait:* cùm fides ex salutari doctrina nascatur, & porrò, quia hanc non tenent, nec fidem eos habere manifestum sit. Valeat igitur successio ista, de qua Smiglecius unà cum suis gloriatur, utpotè iis rebus vacua, quibus eam contineri isti volunt. Nullo enim pacto hominibus intelligentibus persuaderi potest, veram Christi fidem, missionem, mittendique potestatem, ab Apostolis in istos derivatam, & de manu in manum tra-

num traditam esse, nisi se revera hæc possidere planum faciant. Personalem successionem nihil moramur, cùm hæc ad rem, qua de agitur, minimè pertineat. Est enim profana prorsus, nihilque ad ministerii constitutionem ponderis affert. Doctrinalem successionem eamque ejusmodi sese illi habere ostendant, quæ simul missionem, mittendique potestatem contineat, & vincent. Quod cùm facere non possint, parumnè liquet, Volkelium, non imperitè, sed verissimè dixisse, ad ministri ordinationem, hoc præsertim tempore, non opus esse, ut ea ab illo fiat, qui ipse missus sit. Nam præterquam quod hoc insuper, ut sic dixerim, impossibile esse modò docuimus, plurimum interim, & ad decus & ad decentem in ecclesia ordinem conservandum interest, certis cætibus, certos ministros præfici, rectumque est, hoc a viris primariis, omnibus reliquis consentientibus fieri.

Sed enim ejusmodi ministrorum constitutionem *humanam non divinam esse* Smiglecius ait. quasi verò quod ardentissimo gloriæ divinæ studio, adhibita devotione quàm maxima, omnium fidelium præcibus conjunctis, in publico Christianorum cætu, præsente Christo, angelisque suscipitur, id humanum, profanum ab omnique religione sejunctum censeri debeat: Contra verò quod a conficta illa ministros mittendi potestate profluere putatur, in rebus cælestibus divinisque numerandum sit. Prorsus igitur concidit causa Smiglecii: nisi fortè illud ejus sustinendæ aliquam vim habet, quòd Christus *promisit inferni portas ecclesiam suam non prævaliturας: Petri fidem non cessaturam:* Item, *se suis usque ad consumationem seculi affuturum, spiritumq; sanctum missurum, qui apud eos maneat in æternum.* His enim testimoniis Smiglecius, Christum fidei potestatisque ministros mittendi successionem nunquam interrupendam spopondisse ait, propterea quòd quæ illis continentur, sine perpetua successione ne intelligi quidem possint. Efficiemus autem Dei ope auxilioque, ut sua sese opinione longè falli intelligat. Primò igitur nequaquam consequens est, ut, quia Christus pro Petro oravit, ne fides ipsius deficeret, idcircò per successionem nō interrumpendam, fides in Christum generaliter accepta, semper in terris vigeat: cùm ex loci istiuscircumstantiis, facilè intelligatur, hæc Christi verba, non nisi ad Petri personam fidemque spectare. In eadem enim verborum comprehensione tùm ipsius conversionem commemorat, tùm apertè eum a reliquis Apostolis distinguit, inquiens: *Confirma fratres tuos.*

Matth: 16. 18. Luc: 22. 32. Mat: 28. 20. Ioan: 41. 16.

Alterum quoque Christi promissum, *quo orci portas ipsius ecclesiam non*

am non prævalituras, confirmat, cùm ista successione nihil conjunctum habere, ex eo perspicitur, quòd infernus sive orcus in sacris literis ubique, nisi vehementer fallimur, non nisi statum mortuorum significat, & portas inferni ipsum infernum id est eundem mortuorum statum denotare Esaiæ testimonio comprobatur (Esa: 38.10.) in quo solo nec usquam alibi fortassè hæc locutio habetur; Dicit autem ibidem Ezechias, *Dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferni, privatus reliquis annis meis.* Adde quòd ex similibus locis, in quibus mortis portarum fit mentio, idem sensus colligitur. Portas enim mortis ipsam mortem designare nemo opinor negabit. Ex quo intelligitur, Christum hoc in loco nobis voluisse persuadere, fieri non posse, ut ipsius ecclesia, id est homines in ipsum credentes, in morte maneant, cùm tandem ex illius faucibus eripiendi sempiternaque vita donandi sint. Itaque perspicuum est, aliud esse, orci portas ecclesiam non prævalere: & aliud, ecclesiam cessare successionemque istam interrumpi non posse. Vt enim illud insuper verissimum est, ita hoc falsissimum esse ex eo patet, quòd homines, ex quibus ecclesia constat, libero arbitrio præditi sunt, & porrò a fide salutarique veritate deficere possunt. Quorsum enim spectarent tot virorum sanctissimorum ipsiusque adeò Christi admonitiones, quibus fideles, qui ipsius ecclesia sunt, ad animi constantiam fideique perseverantiam incitantur? Quid quòd Paulus fore prædixit, ut homines, a cæsti veritate planè deficerent, & nos id factum esse, experientiâ, proh dolor, cognovimus? Nisi igitur Smiglecio, & liberum hominis arbitrium, quod Deus semper salvum esse voluit, & porrò Christianæ religionis naturam evertere, & divinis testimoniis repugnare spiritumq; sanctũ turpissimæ contradictionis insimulare cogitat, fateatur necesse est, orci portas ecclesiam non prævalere, longè aliud quàm ipse vult, significare, nimirum id ipsum, quòd paulò ante ex scripturæ analogia docuimus. Hanc nostram testimonii istius explicationem, Smiglecius convellere non potuit, quamvis in septimæ suæ demonstrationis examine, id maximè tentaverit, ut ibidem videbimus.

Iam *quòd Christus seſe, cùm suis, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi futurum* pollicetur, similiter minimè convincit, semper necessarioque ecclesiam in mundo extituram fuisse. Cùm enim, ut jam vidimus, hominum voluntas, nulla necessitate adstricta sit, quin a fide obedientiaque discedere officiumque prodere possint, idque omninò futurum fuisse, spiritus sanctus mentiri nescius, luculentissimis

verbis testificetur, necessariò statuendum est, Christum, qui ejusdem spiritus appulsu locutus est, nequaquam his verbis promittere, ecclesiam semper sineque successionis interruptione, extituram (hoc enim promitti non potuisse res ipsa indicat) sed in hac ipsius oratione tacitam quandam conditionem contineri, perindeque esse ac si dixisset: dum quidem fideles mei extituri sunt, si vel usque ad mundi interitum (quod quidem in ipsorum situm est potestate) ego illis nunquam deero.

Ad extremum, quòd *Christus suis Spiritum sanctum pollicitus est, qui apud eos in æternum maneat*, animadvertendum est, eum hoc in loco solos Apostolos alloqui, ut ipse verborum contextus docet, Spiritumque sanctum, quem ibidem alium paracletum nominat, ex ea parte a Patre datum iri confirmare, quatenus id ad illorum officium spectabat. Ad quod ritè exequendum opus erat, ut in omnem salutaris veritatis cognitionem inducerentur: idque per eundem spiritum, qui eam ipsam ob causam, spiritus veritatis appellatur. Quem apud eos in æternum mansurum ideò asserit, ut significet, nunquam futurum, dum quidem Apostolorum munere fungentur, ut eo careant. Vocabulum enim *æternitatis* sæpissimè in divinis literis ad subjectam materiam restringendum esse, nemo, qui eas vel a limine salutavit, ignorare potest.

Vrgebunt tamen adversarii & nihil remittent, negabuntque ad solos Apostolos hîc verba fieri: & universæ Ecclesiæ spiritum istum veritatis promitti dicent: nos verò, quamvisaliter sese rem habere planè videamus, dabimus tamen ita esse: Interim verò, ne & religionis naturæ & voluntatis humanæ libertati, quam Deus incolumem permanere vult, eversionem afferamus, veracissimumque Dei spiritum mendacii insimulemus, & denique contra sanæ mentis rationem, id inficiemur, quod verissimum esse experientia oculique testantur, constanter asserimus, veriorem post illum, quem paulò antè posuimus, verborum istorum sensum dari non posse, quàm Spiritum sanctum, in Christi Ecclesia, dum quidem ea fuerit, semper mansurum.

Hîc verò ridiculum me esse, dicit Smiglecius, qui Apostolicam doctrinam, quatenus literis consignata est, divinâ prudentiâ usque ad finem mundi conservandam fuisse affirmem. Verùm quam ridiculus ipse sit, ne quid gravius dicam, ex eo patet, quòd non solùm verba mea, sed etiam sensum eorum ita permutavit atque turbavit, ut magnum mihi risum fecerit, eoque magis, quòd Christi promissa, eò spectare me fingit asserere, ut scriptura non deficiat. Quod quidem, ut quàm

falsum

falsum sit, quamque ridiculum disputatorem sese Smiglecius, sic agendo præbeat, omnes intelligant, tùm mea, tùm ipsius verba hoc loco ponam. Ac mea quidem verba hæc erant: *Asserit Smiglecius, Apostolorum doctrinam, usque ad finem mundi perpetuari debuisse. Quod quidem ambiguè dicitur, cùm enim hoc loco, verbum* perpetuandi, *verbo* pereundi *opponatur*, (dixerat enim paulò antè Smiglecius, Apostolorum doctrinam non periisse cum Apostolis) *consequens est, ut vel hoc dicere velit Smiglecius, Apostolorum doctrinam, quatenus sacris literis consignata est, divina providentia, usque ad finem mundi conservandam fuisse, quod quidem nos libentissimè concedimus, quamvis quo pacto hoc Smiglecii causam juvet, minimè videamus: vel vult Smiglecius, nunquam futurum fuisse, ut homines ab Apostolorum disciplina deficerent.* Hîc animadvertendum, me neque simpliciter affirmare, scripturam non cessaturam fuisse. Sed si Smiglecii verba sic accipienda sint, lubentissimè concedere: nec ad Christi promissa hoc referre: sed ad Smiglecii assertionem, de Apostolorum doctrina, usque ad finem mundi, perpetuanda, idque eo pacto, ut si hæc sit mens Smiglecii, non videam quomodo ipsius causam juvet. A qua quidem mea oratione, verba mihi a Smiglecio afficta, plurimum distare, quilibet facilè intelligit: quæ quidem hæc sunt: *Ridiculus verò est Volkelius, cùm ait, Apostolicam doctrinam, quatenus sacris literis consignata est, nunquam defecturam: non verò quatenus ad homines spectat, quos inquit, experientiâ certum est, ad idololatriam & varios errores deficere, quasi verò promissa Christi eò spectent, ut scripturas nunquam defecturas, ecclesiam verò, quæ hominibus ut membris constat, defecturam existimemus.* hæc Smiglecius. Ita scilicet isti disputatores agunt, ut facilè Iesuiticum candorem agnoscas. Egregium verò istud disputandi artificium est, adversariorum verba, cùm refutari non possint, ita mutare, ut morsui magis pateant.

Pergit Smiglecius & dicit: *Cùm verò Volkelius ait, experientiâ patere defectionem a fide & Apostolica doctrina: si id de Arianorum, aut aliquo simili cætu particulari intelligit, verùm dicit: si verò de totius ecclesiæ defectione, turpiter errat, & scripturis contradicit. Non deficit enim nec deficiet unquam Romanæ Ecclesiæ fides, quæ in Petro fundata perpetuæ fidei & potestatis successione gloriatur.* Hîc primò intelligendum est, Volkelium nequaquam nudis verbis dixisse, defectionem istam factam esse, experientiaque sese hoc unà cum aliis quamplurimis cognovisse: sed insuper ea addidisse: quæ rem istam planè convincunt, anteque oculos ponunt, inquiens: *Inducta quippè est horrenda idololatria, unà*

tria, unà cum aliis pestilentissimis erroribus, & ideò verus Dei cultus extinctus, salutaris Christi doctrina, partim obscurata tenebris, partim longo intervallo prorsus occultata demersáque iacuit: Et quidem defectionis atque impietatis istius mysterium, viventibus adhuc Apostolis peractum, & non multò post eorum obitum irrupisse Apostolus clarissimè testificatur. 2. Tes. 2. 7. 8. 9. 10. 11. Hæc Volkelii verba Smiglecius dissimulavit. Ex quo apparet, Smiglecium optimè intellexisse, Volkelium neque de illorum cætu loqui, quos ille Arianos dicit: nec de aliis, qui similiter Romanæ ecclesiæ valedixerunt, & tamen tanquam si non intelligeret, in hæc verba, quæ nihil ad rem faciunt, prorupit: *si id de Arianorum cætu particulari intelligit, verum dicit.* Quin imò falsum unà cum Smiglecio dicerem, si ita loquerer, cùm cætus illi nullam idololatriam induxerint: sed eam ipsam ob causam, Papatum reliquerint, quòd ejusdem peccati noluerint esse participes. Viderunt quippè, Romanenses, ut alios funestissimos errores, ita maximè idolorum cultum amplexando, a salutari Apostolorum Christique veritate defeciisse. Non de his igitur cætibus loquitur Volkelius, mi homo, sed de vestra cohorte, in qua omnia a Paulo Apostolo, de generalissima defectione, prædicta, exitu completa esse, & res ipsa convincit, & multi doctrinâ præcellentes viri, iis argumentis confirmârunt, quibus vos magni disputatores, nihil solidi usque ad hunc diem, potuistis opponere. Qua fronte igitur Smiglecius dicit, nos ista affirmando, scripturis contradicere, sive modò commemoratum Apostoli testimonium, sive Christi promissa, paulò ante explicata, innuat. Nihilominus tanquam obtentâ victoriâ, exultat atque triumphat, inquiens: *Non deficit nec deficiet unquum Romanæ ecclesiæ fides, quæ in Petro fundata perpetuæ fidei & potestatis successione gloriatur.* Hîc rursus Smiglecius turpissimè labitur, dum ideò me scripturis contradicere ait, quòd ecclesiæ Romanæ fides nunquam sit defectura. Hoc quippè colligitur ex particula *Enim*, quæ præcedentis sententiæ αἰτιολογίαν indicare solet. Quàm verò insulsum & alogon istud sit, nemo non videt, cùm hîc non dicatur, fidem Romanæ ecclesiæ defecturam fuisse: sed veram fidem veramque Christi ecclesiam, quam quidem Romanam cohortem esse, nec nos concedimus, nec Smiglecius probabit unquam. Ostendat prius Smiglecius scripturam, cujus nomine, Christi illa promissa intelligit, de Romana ecclesia fideque loqui, idque ita, ut verus illorum sensus, a nobis suprà positus, retineatur, & facilè de reliquo, inter nos conveniet. At inquit, *Ecclesia Romana est fundata in Petro, perpetuæque fidei ac potestatis successione gloriatur.* Nos verò eam

de re-

de rebus istis gloriari pervidemus: falsam autem vanamque gloriationem istam esse satis jam ostendimus: ut facilè appareat, etiam id a verò alienissimum esse, quòd eam Smiglecius in Petro fundatam esse, asserit: cùm, ut in priori nostra responsione docuimus, & infrà suo loco docturi sumus, super Petrum ædificari, nihil aliud sit, quàm salutarem Christi veritatem per Petrum aliosque Apostolos traditam tenere. Quod quidem Romanenses minimè facere, jam satis tùm a nobis, tùm a plurimis viris doctissimis demonstratũ est. Deficiat igitur vel non deficiat Romanensium tùm fides tùm potestas, nihil hoc ad nos, nihil ad rem propositam facit, nihil denique ad veritatem pro qua pugnamus, evertendam virium habet. Quanquam futurum planè speramus, si modò vera Apostolum dicere volumus, *ut Dominus spiritu oris sui hominem peccati interficiat*, id est, per Evangelii doctrinam omnes Antichristi technas ac fraudes detegat, & sic quantum in ipso fuerit, homines illius machinis atque præstigiis circumventos, ab eo abstrahat, purissimaque veritatis lumine collustret, itaque fiat, ut unà cum nugis suis nullo loco habeatur, planeque tandem intereat. Quod quidem opus suum, Dominus jam a multis annis inchoatum, quotidie magis magisque tùm Antichristi artes convincendo: tùm veritatis suæ mysteria patefaciendo, ita continuat, ut ab exitu non procul absit. Cujus quidem rei, testis est Germania, testis est Suetia, testis est Dania, Anglia, Vngaria, testes denique sunt tùm multæ aliæ regiones universæ, tùm earum partes non minimæ. Rumpatur sanè Smiglecius, & Romanam ecclesiam deficere non posse ad ravim usque clamitet, nihil aget, cùm præterquàm quòd ad rem id nihil facit, ut diximus, etiam aliter esse, apertum anteque omnium oculos positum sit.

Hîc verò Smiglecius, cùm aliter suam causam defendere non possit, ad Patres, ad concilia, Ecclesiarumque annales nos amandat, reipsa appariturum affirmans, Romanæ Ecclesiæ fidem, ex Apostolicis fontibus haustam, omnibus seculis, ad nostra tempora durâsse. Respondeo nequaquam tanto nobis labore opus esse: cùm Romanensium ab Apostolorum doctrina defectio, vel ex sola, huius cum illorum dogmatis comparatione intelligi possit. Plurimum namque hæc inter se distare atq; adeo pugnare, omnes minimè socordes homines facilè agnoscunt. Quid quod plus quàm par est, Smiglecium in suis Patribus, conciliis, atque annalibus ponere, nuper a nostris hominibus, maximè autem a nobilissimo viro Domino Hieronymo Moskorzovvski, demonstratum est, ad cujus librum, adversus Skargam, non ita pridem editum,

tùm

tùm Smigiecium, tùm omnes alios rejicimus, persuasum habentes, eos facilè perspecturos, conciliorum Patrumque sententias, multis maximisque rebus, tùm ab Apostolorum doctrina, tùm a seipsis dissidere, ut facilè appareat, Smigiecio & hoc perfugium, quod tanquam sacram anchoram arripuerat, præcisum esse. Ex quo similiter apparet, ea, quæ postmodum subjungit, nullius ponderis esse. *Ergo*, inquit, *si Christo spondente, fides & ecclesia ab ipso fundata, non erat unquam peritura, alterum ex duobus consequens est; aut fidem Romanæ ecclesiæ esse fidem Apostolicam, aut nullam veram fidem Christianam & apostolicam esse in mundo.* Respondemus istam Smigiecii argumentationem, duobus modis vitiosam esse. Primò enim ex eo Smiglecius suas assertiones concludere nititur, quod falsum esse jam ostendimus, nimirum Christum spopondisse, ecclesiam ab ipso fundatam, fidemque ejusdem nunquam perituram, id est cessaturam esse. Deinde nequaquam consequens est, si Romanæ ecclesiæ fides apostolica non est, nullam fidem veram Christianam & Apostolicam esse in mundo. Nihil enim prohibet, quo minus vera fides apud illos sit, qui a Romana ecclesia discesserunt, modò divino verbo, quod Dei providentiâ salvum permansit, quàm tenacissimè adhæreant. Rectius autem veriusque dixisset Smiglecius, post generalem illam a salutari veritate defectionem, antequam Christi ecclesia instaurari inciperet, vel Romanensem fidem Apostolicam fidem fuisse: aut generatim loquendo, nullam veram fidem Christianam & Apostolicam extitisse in mundo. Cujus quidem pronunciati posterius membrum, generatim acceptum, facilè concessserimus. Dico autem, eum rectiùs, non tamen rectissimè locuturum fuisse, nosque posteriorem istius enunciationis partem generaliter intellectam, concedere, quia, licet invectâ idololatriâ horrendâ, aspectabiles Christianorum cætus sublatos fuisse, nequaquam negemus: fieri tamen potuisse credimus, ut aut semper, aut diversis temporibus, extiterint homines, quantumvis pauci atque obscuri, qui maximis in rebus a Romana ecclesia dissenserint, eique contradixerint, salutaremque porrò Christi fidem habuerint.

At inquit Smᵛ: *Fides Romanæ ecclesiæ eadem semper ab Apostolorum temporibus perduravit.* Istud verò falsissimum esse satis jam demonstravimus, pergit tamen & ait: *nulla alia fides successionem non interruptam ab Apostolorum temporibus demonstrare potest, quam notam veræ & Apostolicæ fidei Christus esse voluit.* Respondemus, Romanenses de Apostolicæ fidei successione gloriari jure non posse, cùm ab illa defecerint,

cerint, iiq́ue planè sint, de quibus Paulus hunc in modum loquitur: 1. Tim 4.1.
Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Successionem personalem localemvé nos nihil morari supra diximus, eamq́ue nullam planè, neque ad missionem, neq́ue ad veram ecclesiam constituendam, vim habere, satis demonstravimus.

Falsissimum igitur est, Christum, ut asserit Smiglecius, voluisse successionem non interruptam fidei Apostolicæ notam esse: cùm præterquàm quòd nusquam id scriptum legimus, etiam successio ista, propter sæpius memoratam a fide defectionem dari non possit.

Pergit Smiglecius, & *Volkelium frustrà fucum facere* asserit, cùm ait: *se suoq́ue antiquitati Romanæ ecclesiæ repugnare: illi verò Apostolicæ antiquitati nequaquam. Nam illa* inquit, *Apostolica, Christo promittente perpetuari, absque interruptione ad finem usque mundi debuit: si igitur Ariani antiquitati omnium seculorũ, post tempora Apostolorum repugnant, etiam illi Apostolicæ ecclesiæ, & ei quæ ab Apostolis, ad hæc usque tempora propagata est.* Hæc Smiglecius. Nos verò & candorem & pudorem Smiglecii hîc desideramus. Candorem, quòd causam cur sic loquamur, per summam astutiam reticuit, nec verba nostra, pro eo ac par erat, adduxit. Quædam etiam quibus ipsius temeritas convincebatur, dissimulavit. Nam & ipsius argumentandi imperitiam coargueramus: & ea illum dicere quæ ambigua sunt, & ideò nihil certi concludere possunt, ostenderamus: & denique posteriorem antiquitatem nihil cum prima illa Apostolorum ætate, conjunctum habere, evidentissimè demonstraveramus. Quæ omnia cùm Smiglecius præterierit, nonné manifestum est, eum parùm candidè nobiscum egisse. Pudorem verò ipsius, ideò nos desiderare dico, quòd nostris argumentis minimè repulsis, suam sententiam urgere non dubitat. Quàm feliciter autem id faciat, videamus tandem. Asserit autem: *Primam illam Apostolicam antiquitatem ad finem usque mundi duraturam fuisse.* Atqui hoc non est suam sententiam confirmare: sed principium petere: cùm hoc ipsum sit in controversia, nosq́ue adeò multò aliter, ac Smiglecius asserit, esse, abundè demõstraverimus. Corruit igitur, quod postmodum addit Smiglecius, nimirum *nos posteriori antiquitati repugnando, etiam illi priori*

Apostolorum antiquitati resistere, cùm illam huic dissimillimam esse nemo sanus negare possit.

Caput X. Cujus titulus est:

Absurdè Volkelius defendit, missionem ministrorum necessariam non esse.

IN hoc capite adducit Smiglecius, sibique refutanda proponit hæc Volkelii verba: *Ad necessitatem* (scilicet absolutam missionis ministrorum) *hujus rei demonstrandam, non satis est ostendere, fuisse olim ministros ecclesiæ præpositos, sed etiam hac adjuncta cautione id factum esse demonstrandum, ne ulli præter eos divinum verbum prædicare, similiaque munera obire liceat. Satis quippè est, si quis cum pietate vivat, & ad alios erudiendos, accòmodatus sit, ut huic muneri præponatur: non quidem ita, ut singularem quandam hujus muneris exequendi potestatem accipiat: sed ut ecclesia approbante, hanc personam sustineat.* Hæc Volkelius dixerat. Ad quæ Smiglecius, hunc in modum respondet: *Ecquis ferat officium pastorum & ministrorum in ecclesia necessarium non esse, cùm Paulus disertè affirmet, Christum in ecclesia constituisse pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum.* Hîc primò animadvertendum est, Smiglecium ea nobis affingere, quæ nunquam diximus, nimirum officium pastorum & ministrorum in ecclesia, necessarium non esse: cùm non pastorum officium: sed eorundem singularem quandam missionem necessariam esse negemus, id est, absolutam quidem ejusdem necessitatem: non autem necessitatem secundùm quid inficiemur. Deinde satis jam suprà a nobis ostensum est, testimonium istud Pauli, ad id, quod vult Smiglecius, convincendum, nullam vim habere. Ad ea igitur Smiglecium rejicimus. Hoc tamen addo, Paulum nequaquam dixisse, id semper futurum. Nec valet consequentia, tunc fuisse necessariam miraculosam illam, tùm Apostolorum, tùm reliquorum ecclesiæ ministrorum constitutionem, propter nugas ethnicas & Iudaicas. Ergo & hodie: cum jam a multis seculis constet, doctrinam Apostolorum esse veram satisque confirmatam.

Eph:4.11.

Ait præterea Smiglecius: *Ridicula illa esse, quæ Volkelius commemorat de ministrorum absque missione creatione, per solam auditorum approbationem vel conductionem, esse enim eam profanam non sacram ministro-*

nistrorum constitutionem. Hîc rursus me Smiglecius dicentem facit, quæ nunquam dixi, nempè ministrorum creationem per solam auditorum approbationem vel conductionem fieri debere. Nam præterquàm, quòd nullam conductionis mentionem feci: nullaque ejus in ministris ordinandis, ratio habetur: etiam minimè dixi, per solam auditorum approbationem, id fieri debere: Sed satis esse, ut minister ecclesia approbante, hãc personam sustineat Ecclesiam autem non simplices tantùm auditores: sed etiam tùm viros primarios, tùm ministros aliis cætibus præfectos, in eum locum, ubi actio ista perficitur, convenientes intelligi posse, nemo non videt. Minimè autem profanum hoc negotium esse suprà docuimus.

Pergit præterea Smiglecius & ait: *Si id ita esset, tot essent ministri, quot essent auditores, siquidem liberum est, cuique auditorum, quem volet ministrum eligere.* At quis nostrum ad eum modum loquitur? an non pudet Smiglecium, toties, per summam levitatem, ea nobis affingere, quæ ne per somnium quidem cogitavimus unquam?

Verùm quantum video, eam ob causam Smiglecius nos ita loqui fingit, ut quæ postmodum dicit, locum aliquem habeant. Is nimirum ipsius mos est, ut quando aliter tempus fallere non potest, cum sua umbra pugnet. Verùm valeat cum suis lusionibus, nobis sanè cum illo colludere non libet. Examinanda enim sunt illa, quæ paulò post seriò & extra jocum scribere videtur hoc pacto: *Volkelio neque necessariò consequens, neque absurdum esse videtur, ex licentia ministrorum sine missione prædicandi effici, ut innumeri emergant reformatores, qui ut variis hæresibus imbuti erunt: ita varias hæreses inducere molientur. Posunt enim,* inquit, *isti reformatores, non hæreses inducere, sed eas detegere; & quamvis varii hæretici ex hac licentia existerent: tamen ea non esset deneganda, ne simul aditus ad patefaciendos depellendosque errores præcludatur.* Hîc rursus Smiglecii candorem in nostris responsionibus tùm proferendis tùm refutandis desideramus. Non solùm enim ista Volkelius dixerat, sed insuper hæc verba addiderat: *Erumpant sanè hæreses ex ista licentia, cùm eas existere in ecclesia oportere, idque sine dubio ipso Deo permittente, Paulus Apostolus luculentissimè doceat. Et eam quidem ob rem, nusquam scriptum legimus, aliquem, quicunque is tandem fuerit, prædicatione fuisse prohibitum. Quin imò, omnia explorare, quodque bonum est, tenere, spiritus probare, hæresesque fugere, apertissimè jubemur. Quod quidem quo pacto licentiâ prædicandi sublatâ fieri possit, non video.* Hæc inquam, addideramus, quibus Smiglecius ne verbum quidem re-

1. Cor: 11. 19.

1. Thess. 5. 21.

1. Ioan: 4. 1.

dem respondere potuit. Refutaveramus etiam illa, quæ de reformandis Calvinistis ab Arianis deque miraculis & aliis de cælo testimoniis, quibus se quispiam ad reformandum missum esse, demonstrare teneatur, in medium attulerat. Sed ista omnia Smiglecius dissimulavit, quia nimirum quod responderet, non habuit. Videndum igitur hoc loco est, quid tandem illis nostris verbis opponat, quæ pro sua humanitate recitare non fuit gravatus: *Egregium verò politicum* inquit, *qui factiosis & malè sanis capitibus licentiam ad perturbandam rempublicam permittit, quòd fieri fortasse posset, ut aliqua etiam mala in republica, ea ratione corrigantur. Rectè monet Paulus, non esse facienda mala ut eveniant bona.* Hæc Smiglecius. Respondemus autem, eum nequaquam nobis satis facere. Primò enim dixeramus, minimè necesse esse, ut datâ licentiâ reformandi unicuique, mox ejusmodi reformatores existant, qui & ipsi hæretici sint, & hæreses inducant, cùm fieri possit, ut potiùs hæreses, quæ in ecclesiam irrepserunt, detegant atque convincant. Hîc Smiglecii partes erant, si modò bonum sese disputatorem præbere voluit, consequentiam argumenti sui probare, eamque non rectè a nobis reprehensam esse ostendere: & porrò fieri non posse docere, ut hac ratione hæreses detegantur atque convincantur. Quod quidem eum facere non posse, & rei ipsius natura, & experientia testatur, & ipse quodammodo fatetur, cùm dicit: *nos ideo licentiam istam permittere, quod fieri fortasse possit, ut aliqua etiam mala in R. P. ea ratione corrigantur, & Paulum rectè monere, non esse facienda mala, ut eveniant bona,* ut facilè appareat, Smiglecium suam consequentiam nequaquam sustinere: sed ipsummet planè convellere: quanquam altera ex parte, hæc proferendo, aliam viam nostri exagitandi sese invenisse putat, ut nimirum ostendat, nos contra Pauli monitionem, mala facere, ut eveniant bona. Verùm longè fallitur, cùm hanc licentiam, quæ omnibus ad docendum aptis conceditur, malam esse nondum ostenderit. De hujusmodi enim licentia nos perpetuò loqui, passim in hac disputatione videre est. Malam autem eam minimè esse, ex eo intelligitur, quòd partim ad ministerii essentiam spectat, partim ab iis, absque ulla reprehensione eam usurpatam fuisse scriptum legimus, qui nec missi, nec in eo munere ab aliis constituti fuêre, ut suprà cap: 7. docuimus.

Sed enim ideo eam malam esse dicit Smiglecius, *quòd ex ea per se consequatur omnium errorum hæresiumque proseminatio, idque propter judiciorum varietatem hominumque naturam semper novitatis avidam.* Atqui hoc idem sine dubio & Apostoli aliiq; divini homines viderunt: nec ta-

nec tamen quenquam prædicatione prohibuerunt: omnia contra exploranda, spiritusque probandos, & quod bonum est tenendum esse monuerunt. Respondendum prius ad hæc Smiglecio erat, quàm inanes istas rationes subduceret. Demonstrandum etiam fuit, etiamsi ex libera prædicatione hæreses nascantur, ideo ea utendum non esse, cùm etiam ipse Deus hæreses irrepere permittat, ut quoddam fidei nostræ constantiæ experimentum extet, vel ut illi qui probati sunt, manifesti fiant. Quam in sententiam plura diximus, in nodi dissolutione, quæ omnia refutanda Smiglecio erant. Docendum præterea fuit, eandem prædicandi licentiam, esse causam per se variorum errorum. Quod quidem tantum abest, ut faciat Smiglecius, ut etiam ipse per imprudentiam, longè aliter esse, luculentissimè doceat. idq; in eadem verborum complexione. Postquam enim dixisset, ex licentia ista omnium errorum proseminationem per se consequi, statim sibi ipsi contradicens, hoc vitium ad hominum malitiam, ad novitatis aviditatem, deniq; ad plurimorum insulsitatem refert. (pag: 56.) Quod quidem si ita est, quomodo quæso prædicandi licentia per se illius mali causa est? 1. Tes: 5. 21. 1. Cor: 11. 19.

Eandem prorsus fallaciam & paulò post Smiglecius committit, cùm ait: *Scripturas cujusque arbitrio permissas, non ad veritatem assequendam: sed ad omnium errores excitandos præsentissimum medium esse, non quòd scriptura vera non sit: sed si pro cuiusque arbitrio, alius illi atque alius sensus affingatur, omnem vim suam amittat, & scriptura esse desinat.* Hîc primùm respondeo, usum alicujus rei propter ejusdem abusum tollendum non esse. Deinde nequaquam consequens esse ajo, ex libero scripturæ usu varios errores nasci, cùm potius fieri possit, ut per diligentissimam ipsius lectionem considerationemque detegantur. Quod etiam hactenus factum fuisse, & etiamnum fieri, ut vehementer lætamur, Deoque de tanto ipsius beneficio ingentes agimus gratias: ita Smiglecius unà cum suis, tantùm non disrumpitur, ut ex his ipsius verbis apparet: *Venit Lutherus detonans verbum Dei ab omnibus legi & exponi posse, quod ubi persuasit, tot illicò hæreses emerserunt, ut numerari planè nō possint. Nam qua ratione licuit Luthero, discipuli quoque à Luthero recedere licitum esse putârunt, eodemque argumento (scripturam per scripturam interpretando) contrà ipsum usi sunt, quo ipse contrà ecclesiam utebatur.* Et paulò post: *Ex quo etiam indies proficiunt, ut à Lutheranis ad Calvinistas, ab his ad Arrianos se conferant.* Addit Smiglecius: istos quos perstringit *ab Arrianis ad atheismum deficere.* Sed hoc invidiosum verbum ei irato excidisse videtur, cùm hoc ita se habe-

bere, nec probet, nec si probaret, mox id ex eorum, quos falsò Arianos nominat, doctrina profluere, statuendum foret, cùm multos tales in ipso Papatu, & antea fuisse, & etiamnum esse dubium non sit. Interim tamen egregiè hîc Smiglecius, quantumvis invitus, aliudque agens, nobis ostendit, quo pacto, libera scripturæ lectione factum sit, ut nõ pauci errores per Lutherum: plures per Calvinum aliosque hunc secutos, plurimi autem per nos, qui immeritò Ariani dicimur, detecti in lucemque prolati fuerint. Libet enim atque adeò licet, Smiglecii verba ita permutare, ut quod ille hæresium errorumque proseminationem ex libera scripturæ lectione existentem dixerat: ego veritatis & simul etiam errorum, quotidie majorem patefactionem nominem.

Postremò libertate scripturæ legendæ effici pernegamus, ut ea suam vim amittat, scripturaque esse desinat, quinimò ad verum ipsius sensum eruendum, accommodatissimam esse statuimus diligentem ejusdem evolutionem. Nec enim frustrà Christus dicit: *Scrutamini scripturas* &c. Quamvis autem alius atque alius sensus illi tribuatur: tamen non sequitur nullum verum illius sensum relinqui. cùm in tanta interpretum multitudine fieri non posse videatur, quin si non omnes, aliquot tamen, veram illius mentem assequantur. Quid quòd plurima sacris literis comprehensa, adeò clara perspicuaque sunt, ut alius illis sensus, ab eo quem continent, affingi nequaquam possit: maximè autem illa, in quibus æternæ salutis summa consistit, quæ sanè ab Apostolis, ad omnes etiam simplicissimos homines, scripta esse, cui quæso dubium esse potest? Adde quòd hîc Smiglecius in eandem planè fallaciam incidit, quam suprà deteximus, nimirum quia multi vel præjudicata opinione, vel malitiâ, vel negligẽtiâ, vel aliis vitiis impediti sese ad sacras literas legendas conferunt: & porrò eas minus intelligunt, ad alienosque sensus detorquent: Ideircò scripturam, non scripturam, sed humanum commentum esse, cùm sensum suum amiserit. Ne putet Smiglecius nos adeò hebetes esse, ut illa tam inania sophismata non deprehendamus: nec videamus quorsum diabolica ista spectent stratagemata, nimirum ut Antichristus per suos administros, sanctâ scripturâ exterminatâ, impunissimè varias a sese confictas fabulas, sub apostolicarum traditionũ nomine in terrarum orbem invehat. Hoc enim, ut ex aliis quàm plurimis rei istius argumentis, ipsaque adeò experientiâ cognoscitur: ita ex his Smiglecii verbis, planè ita esse, ut dicimus, intelligitur. *Vt sine anima*, inquit, *corpus mortuũ est, ita scriptura sine suo nativo sensu, non scriptura, sed humanum quoddam inventum ac figmentum est.* Porrò ut

Ioan: 5. 39.

rò *ut sensum a spiritu S. scripturis inditum cognoscamus, non humanis discursibus agendum est, qui sunt fallacissimi, neque propria interpretatione, uti cavet S. Petrus, sed ad Apostolicam traditionem animus referendus.* Hîc quis non videt, id agere istos homines, ut sacris literis contemptis, ipsorum traditiones amplectantur, inque eis salutis nostræ summam ponamus. Sed ne iniquè cum illis agere videamur, pauca adhuc ea de re dicemus. Primò igitur, non per omnia verum est, nos pecudum more omne sanæ mentis judicium abjicere debere, quoties de scripturæ sensu cognoscendum est: cùm Deum, quantumvis incomprehensibilem, ita tamen sermonem suum, ad captũ nostrum accommodâsse, ut percipi a nobis possit, & res ipsa doceat, & summa ipsius in genus humanum clementia, testificetur. Tametsi enim multa sunt, quæ captum nostrum, magna ex parte superent: Deus tamen pro inexplicabili sua in nos benignitate, ita ea modificavit atque inflexit, ut mentis nostræ rationi locum non minimum reliquerit. Quanquam enim, verbi causâ, quo pacto Deus æternus, omnipotens, sapiens, omniumque rerum principium sit, mente comprehendere non possum: altera tamen ex parte, ipsæ res ab ipso effectæ, talem eum esse mentis meæ rationi dictant. Similiter & de illis existimandum est, quæ Deus de æterna felicitate nostra decrevit, prædixit, perque Christum nobis promisit, confirmavit atque ostendit. Quomodo enim hæc Deus facere exituq; complere possit, non satis quidem intelligimus: eum tamen & reipsa hoc facere posse & omnino facturum esse, ideo credimus, quia mens nostra, in argumentis, quibus hoc confirmatum est, planè acquiescit. Accedit, quòd non omnia sacris literis prodita ejus generis sunt, ut vel sola ratione percipi minimè possint. Præcepta enim Christi, magnam partem, ad mores rectè componendos spectant. Quos quidem a recta ratione profluere, ideoque eadem ratione percipi posse, dubium non est: cum ad eos respectu habito, Christiana religio, cultus rationalis a Paulo dicatur, vitaque cum Christiana pietate traducta lac rationale a Petro Apostolo nominetur. Cum igitur Deus per Christum, ita rationem sui colendi seu religionem tradiderit, ut nec sanæ mentis judicium evertere, nec ab eo nos discedere voluerit, quorsum, quæso, pertinent hæc Smiglecii verba: *Non humanis discursibus agendum est, qui sunt fallacissimi.* Quasi verò nos ii simus, qui ea judicii nostri trutinâ examinemus, quæ Deus ei subjecta esse minimè voluit: quanquam altera ex parte illa rationis nostræ momentis non ponderare, quæ idem Deus ei patere voluit, ingratitudinis maximæque negligentiæ argumen-

Rom: 12. 1. 1. Pet: 2. 2.

mentum esse statuimus: Præsertim si non ex ipsa humana ratione, scripturæ intellectus petatur: sed rationis adminiculo, scriptura per seipsam Augustino aliisque Patribus suadentibus explicetur.

Smiglecius tamen, ut nobis in rebus divinis cognoscendis cum ratione insaniendum esse ostendat, Petri Apostoli testimonio demonstrare nititur, non propria scripturæ interpretatione, agendum esse, sed animum ad Apostolicam traditionem referendum. Quasi verò vel Petri ea mens sit: vel is unquam traditiones istas somniaverit. Ita nimirum Smiglecius in omnes partes sese vertit, ut suis inanissimis commentis præsidii aliquid acquirat, sed frustrà: cùm ista proferendo causam suam, non solùm minimè stabiliat: sed etiam tùm ignorantiam suam, tùm animum parum candidum apertissimè prodat. Ignorantiam
2. Pet. 1. 20, 21. primò, quòd minimè animadvertit, Petrum non de omni scriptura loqui, sed tantùm de prophetiis, iisque olim allatis, stante nimirum adhuc Republica Mosaica. Deinde quòd putat Smiglecius, eam Petri mentem esse, ut neget, scripturam ex hominum arbitrio explanandam esse, falsum est, crassamque ignorantiam arguit. Apertissimum quippe est, humanum judicium arbitriumvé, esse aliud quiddam, ab illa re, ad quam verba hæc, *propriæ interpretationis*, pertinent, perindeq; est, ac si Apostolus dixisset; Prophetias non habere propriam interpretationem, id est, ut in dissolutione nodi gordii docueramus, prophetias plerumque, non ut sonant, accipiendas esse, & ita semetipsas nequaquam interpretari: cùm Deus sub verborum involucris, res futuras prænunciare voluerit: ut facilè appareat Smiglecium per summam insciti am, verba ista, *Propriæ interpretationis*, a propriâ sede, nimirum prophetiis, divellere, ineptissimeque ad illud referre, quod extra est, cujusque nullam Apostolus rationem habuit.

Illud quoque non solùm insciti æ, sed etiam impudentiæ Smiglecianæ argumentum est, quòd istam meam verborum Petri explicationem non solùm dissimulavit, & ideò minimè refutavit: sed etiam suam urget perque vim nobis obtrudere conatur, ut in ipsius scripti pag: 113. apparet.

Hæc verò non perinde a nobis disputantur, quasi scripturæ interpretationem ex humano cerebro petendam esse contendamus: sed ideò sic loquimur, ut verum Apostoli verborum sensum aperiamus falsumque repellamus.

Sed jam videndum est, quàm candidè agat Smiglecius, cùm non solùm alium atque par est, eidem Petri testimonio sensum affingit: sed etiam

tiam callidè sua verba ita illi admiscet, ut imprudens lector putet, Apostolum nobis ad amplectendas ttaditiones autorem esse. Ait enim: *Non propria interpretatione agendum est, ut cavet S. Petrus: sed ad Apostolicam traditionem animus referendus*, quasi verò non sit alius modus isque certissimus, scripturas interpretandi, præter nugatorias istas traditiones, quas Apostolicas falsò nominat, nimirùm is, quem superiùs de illorum etiam sententia, quos Smiglecius maximi facit, commemoravimus. Verùm quid opus est verbis, cùm, quorsum hæc spectet fallacia, ipse Smiglecius occultare non potuerit, nimirum ut confictis istis traditionibus, quibus verum scripturæ sensum inesse dicit, scripturam non scripturam, sed humanum commentum esse persuadeat: Hunccine fructum, Smigleci, ex tua doctrina percipiemus, ut scripturam præ tuis nugis, humanum inventum existimemus? Quid, quæso, de re tam sancta divinaque tam turpiter loquendo, aliud efficies, nisi ut ab omnibus cordatis, non pro Doctore theologiæ, sed homine, ne quid gravius dicam, parum religioso habearis? Quis enim ante te, iis literis, quas Deus semper sanctissimas haberi, salutisque nostræ fundamentum continere voluit, tam turpem maculam asperšit unquam? Sed reprimo me, & ad ea venio, quæ postmodum de successione dicis, *qua te cum tuis sociis ab Apostolis Apostolicusq; viris descendisse gloriaris.* Hæc autem nihili facienda sunt, ut jam non uno in loco ostendimus: cùm non personali localique, sed doctrinali successione, ad id, quod vult Smiglecius, constituendum opus sit. Quâ quidem istos carere, & a nobis, & jam antea a multis doctis piisque viris, tam evidenter demonstratum est, ut jam tandem pudendum sit, inanissimis istis fabulis, subinde iis obstrepere, qui, quòd in veritatis divinæ studio omne tempus operamque ponunt, ideoque rebus seriis assueti sunt, cum Romanensibus tricari, mortis instar putant.

Caput XI. & XII.

IN his duobus capitibus, multa Smiglecius contra Lutheranos Calvinianosque disputat, ut, eos nec mediatè nec immediatè missos esse, doceat. Quæ cùm partim ad nos nihil pertineant, partim jam a nobis refutata sint, ipseque adeo Smiglecius nos istâ molestiâ liberet, nihil hoc loco dicemus amplius, ne & actum agere & prolixiùs hæc persequendo, aliis victoriam præripere velle videamur, Quia tamen adeo

sibi in cavillando temperare non potuit, quin & nos sub finem duodecimi capitis peteret, obsistemus ei pro virili.

Malè habet, inquit, *Volkelium, quod in nodo a me adjunctum est, non ex prædicatione missionem, sed ex missione prædicationem probandam esse, quòd missio sit prior prædicatione, & negato eo quod prius est, negare necesse est id quod posterius est. Quam consecutionem cùm non intellexisset Volkelius, imperitè refellit. Potest enim, inquit, prius ex posteriori probari, ut causa ex effectu: quasi verò id absolutè a me negetur, & non expressè dicatur: negato priori, non posse affirmari, id quod est posterius: sublataque missione non posse prædicandi officium haberi legitimum: nec in eo casu posse aut debere ex posteriori colligi prius, siquidem sublato priori, posterius etiam auferri necesse est.* Hæc Smiglecius. Verùm nihil agit, cùm sive absolutè, sive minus, neget ex posteriore posse probari prius, illud tamen salvum maneat, quod diximus. Quæ enim hæc est consecutio; sublato priore necesse est tolli & posterius. Ergo ex posteriore prius colligi non potest. Aliter enim esse, illud ipsum exemplum, quod de causa effectuque protuleram, apertè convincit. Nam & sublatâ causâ tollitur effectus, nihilominus tamen ex effectu causam demonstrari posse nemo negat. Quid quod, ut in nodi dissolutione ostenderamus, ipse Paulus Apostolus ex prædicatione missionem colligit, quamvis missio prior sit prædicatione: ut facilè appareat falsissimum esse, quod Smiglecius ait: *In tali casu nec posse nec debere ex posteriori colligi prius: siquidem sublato priori, posterius etiam auferri necesse est.* Rectè igitur Volkelius & Smiglecii consecutionem intellexit, & multò peritius eam refutavit, quàm a Smiglecio fuerat constituta. Adde quòd si maximè ita esset, ut vult Smiglecius, nihil quicquam ad rem faceret, cùm Paulum de primo illo prædicationis genere loqui, jam usque ad nauseam demonstraverimus, quòd sublata missione, affirmari non potuisse, libenter concedimus.

Pergit Smiglecius aitque: *Ad hæc, si prædicatio ejusque veritas nobis notior esset, ne tùm quidem posset ex ea inferri missio. Non enim si quis vera prædicet, ex eo missus censeri debet.* Hæc Smiglecius non nobis, sed Paulo Apostolo opponit, qui ut ex fide auditionem, ex hac verò prædicationem: ita ex prædicatione missionem colligit. Adde quòd Smiglecium hîc facilè caperemus, si in re seriâ ludere nobis placeret? Videtur enim pro nobis disputare, qui hanc ipsius argumentationem maxima ex parte admittimus: *si is qui vera prædicet eo ipso missus censeri non debet, quanto minus eum missum esse statuendum est, de cujus prædicatione*

tione certum judicium fieri non poteſt? Hæc enim verba emittens, omnem miſſionem ſuſtuliſſe, & ſic non ſolùm ſibiipſi contradicere, ſed noſtram etiam ſententiam non leviter confirmare videtur. Sed quia hîc, ut dixi, ludere nolumus, dicimus tunc minimè conſequens eſſe, aliquem miſſum eſſe, ſi vera prædicet, quando non de prima (ad quam miſſione ob cauſas ſuprà dictas, omninò opus fuit teſte Apoſtolo) ſed de poſteriore Evangelii prædicatione ſermo eſt. Perpetuò autem nos inter hanc illamque diſtinguere Smiglecius ignorare non poteſt. Satis enim jam docuimus, prædicationem noſtrorum miniſtrorum nec primam illam eſſe, nec porrò ex miſſione pendere: ſed ex divino verbo, quod ſeſe prædicando ſequi profitentur, dijudicandam eſſe. Quorſum igitur attinet, noſtris argumentis non dilutis, ſed planè præteritis, tàm inaniter exultare, ſeque ipſum ita illaqueare, ut exitus inveniri non poſſit?

Quòd porrò dicit, *Prædicationem quæ ex ſcripturæ collatione exiſtit*, & ideò non prima illa, ſed hæc poſterior eſt, *miſſione obſcuriorem eſſe, cùm de ea certum judicium fieri non poſſit*, partim ad rem nihil facit, cùm prædicatio iſta nullam miſſionem neceſſariò præſupponat, partim falſiſſimum eſt, cùm eadem prædicatio, hodierna nimirum, in illis maximè conſiſtat, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. Hæc autem luculentiſſimè a ſacris autoribus tradita eſſe, inter omnes conſtat. Ex quo fit, ut rerum iſtarum prædicatio notiſſima ſit, & porrò miſſio multò ignotior, quippè cùm dubitetur, an hodie locum habeat, atque adeò abſoluta ipſius neceſſitas planè negetur. Conſtat igitur, nos nequaquam ab ignotis ad notiora argumentari. Quòd ſi tergiverſando ſeſe de Apoſtolorum prædicatione loqui dicat, (quamvis id falſum eſſe, ex eo conſtet, quòd hîc eam prædicationem commemorat, quæ ex ſcripturæ collatione profluit) ne ſic quidem quod vult efficiet, cùm, ut demonſtravimus, Paulus ex ea miſſionem colligat, & ſic, ex Smiglecii ſententiâ, ineptiſſimo argumentandi genere utatur. Quod quidem, quàm rectè pieque divino ſpiritui, in Paulo loquenti, objiciat, ipſe viderit. Accedit, quod etiamſi prædicatio miſſione ignotior eſſet, non protinus tamen ineptè argumentaretur is, qui ex prædicatione miſſionem concluderet. Quid enim, an non effectus ſemper ſuâ cauſâ nobis notior eſt, & tamen, a cauſa ad effectum argumentari, non ſolùm ineptum argumentandi genus non eſt, ſed etiam potiſſima firmiſſimaque demonſtratio a logicis appellatur.

Caput XIII. Hoc pacto inscriptum.

Examen secundæ demonstrationis, quâ ministri evangelici, eo quòd ritè ordinati non sunt, illegitimi ministri esse ostenduntur.

VEri & legitimi ministri ritè ordinari & consecrari debent.
Ministri Evangelici non sunt ritè ordinati & consecrati.
Non sunt, igitur, legitimi ministri.

Hujus syllogismi nos & propositionem & assumptionem negaveramus. Propositionem, quòd Smiglecium de absoluta rei istius necessitate ubiq; loqui constat. Quam quidem demonstrari nequaquam posse, tùm ex eo patere diximus, quòd nullum generalem canonem in scripturâ expressum afferre possit, quo sancitum fuerit, ut ubique & omni tempore, ministrique omnes publicâ cerimoniâ vocarentur & ordinarentur, & simul cautum, ne ullus ejusmodi vocatione ordinationeque destitutus, docendi provinciam susciperet: tùm eorum exemplo idem demonstrari, qui in primævâ illâ ecclesiâ, Evangelium, non solùm impunè, sed summa etiam cum laude prædicârunt, quamvis omni missione ordinationeque caruerint, ut ex iis etiam, quæ suprà in hac nostra responsione diximus, perspicuum est. Verùm Smiglecius, ut quantus sit disputator, quamque veræ causæ patrocinium susceperit ostendat, nihil ad hæc respondet. Nam nec ullum canonem in medium profert: nec exempla illorum, qui absque missione & ordinatione prædicârunt infringere potest: sed tantùm exempla eorum, qui olim publicè ordinati fuerunt, commemorat. Quod quidem an sit demonstrationis suæ propositionem tueri nostramque responsionem refellere, cordatorum esto judicium.

Exemplis porrò, quod voluit Smiglecius, minimè effici, hoc ipso demonstrari docueramus, quòd si ea sunt generalia, non nisi fieri aliquid posse, nequaquam autem omninò fieri debere convincant. Si verò sunt singularia, factum quidem aliquid fuisse, non autem ab omnibus fieri posse aut debere, ostendant, ut verissimum sit illud pronunciatum, omnium sanorum judicio comprobatum: *Non exemplis sed legibus judicandum est.* Sive igitur exempla a Smiglecio allata, generalia sint, sive specialia, nunquam illis, necessariam ministrorum ordinationem evincet. Ac generalia quidem illa esse videntur, quòd Apostoli aliique

aliíque primarii viri, singulis ecclesiis præsbyteros præfeceruut, quod Paulus Titum idem facere jussit, quòd deníque Timotheus præsbyterorum suffragiis manuumque impositione, ordinatus fuit. Quæ quidem & hodie in ecclesiis constitutis quoad ejus fieri queat, decoris causa servari posse, aliquaque ex parte debere non diffitemur. Nequaquam autem absoluta necessitate, ad ordinationem istam, illos adstrictos esse, qui ad divinum verbum explicandum apti cùm sint, data occasione, provinciam eam suscipiunt, exempla sæpius jam iterata, satis superque convincunt. Tit:1.5.6.7. 1.Tim.5.14.

Specialia verò sive singularia sunt illa, quæ de Christo sanctificato, de Ioanne sancto spiritu in utero materno completo, de Apostolorum a Christo afflatorum missione Smiglecius attulerat. Quæ quidem singularia, eam ob causam nominamus, quòd ratione nituntur singulari, minimeque generatim ad omnes verbi divini ministros spectante. Ea autem ratio potissimùm est, quòd isti omnes rem novam terrarum orbi annunciârunt. Quam quidem generatim ad omnes, & porrò etiam nostros ministros, minimè spectare, nullum est dubium.

Affert præterea Smiglecius exemplum Levitarum, ex eoque hujusmodi argumentationem extruit: *Si Levitas solenni ritu Deus sanctificari voluit, quamvis eorum ministerium & terrenum fuerit, & non nisi ad sanctificationem carnis, non spiritus spectaverit: quanto majori sanctificatione opus est ministris novi testamenti?* Respondemus; argumenta a minori ad majus ducta tunc firma esse, cùm ut omnes Logici fatentur, idem genus eademque ratio retinetur, illudque, quo ejusmodi ratio nititur, utrobique locum habet. Si enim verbi gratiâ, quispiam ex eo colligere velit, quòd, cùm ille, qui olim religionem Iudaicam seu Mosaicam, quantumvis Christiana religione longè inferiorem amplecti, inque populum Israeliticum recipi cupivit, absque circumcisione, aliisque externis cerimoniis, id assequi non potuerit: Multò magis iisdem rebus opus sit illi, qui ad Christi religionem se conferre velit; nonné talem pessimum Logicum esse, ipse Smiglecius diceret? quippe cùm cerimonias illas legales per Christum abrogatas esse omnibus pateat. Ex quarum numero, cùm & Levitarum ordinatio consecratioque fuerit, nonné solis luce clarius est, Smiglecium hîc ineptè argumentari: præsertim cùm utrobique externam ordinationem, tanquam rem omninò necessariam requirat.

At, inquit, *hanc suam consecutionem tantò firmiorem esse, quòd eam loco citato, Paulus adhibeat, sic argumentans: Si ministratio mortis literis de-* 2.Cor:3.7.

ris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Hîc verò crassissimè errat Smiglecius. Nam præterquàm quòd spiritualis ministerii mentio a Paulo facta, omnem carnalis ministerii rationem, & porrò externam etiam ordinandi cerimoniam, quatenus hodie absolutè necessaria esse dicitur, excludit, etiam ipsius argumentatio, cum Smiglecciana ratiocinatione magnam dissimilitudinem habet. Paulus quippe in utroque suæ demonstrationis membro id habet, quod & legis & Evangelii ministerio ineſt, nimirum gloriam, quæ sanè non est solennis ministrorum ordinatio; sed potius splendor ille dignitasque quam utraque religio habebat, quamvis major in Christi, quàm in Mosis religione fuerit. Quod contra in Smiglecii argumentatione fieri satis jam ostensum est. Ex quo fit, ut omnia quæ postmodum Smiglecius in hoc labili infirmoque fundamento ædificavit, suâ sponte corruant, vel certè nihil ad rem propositam faciant; nimirum *hodiernos ministros, non minùs spiritus ministros esse, quàm fuerint Apostoli, & quamvis non tantâ donorum copiâ cumulati sint, quantâ Apostoli, ordinandos tamen esse*, &c. Hæc, inquam, fundamento paulò antè memorato, everso, nostris contrà stantibus rationibus, consistere non possunt. Si enim illorum exempla, qui jam in Christi ecclesia publicè ordinati fuerunt, nos absoluta necessitate ad idem faciendum minimè adstringunt, ut demonstravimus: quid tandem de legalium sacerdotum constitutione existimandum est, quæ cum religione Christiana, nullam, ea in re, habet conjunctionem?

Vrget tamen Smiglecius, & nos temerarios homines esse ait, *qui Christi Apostolorumque exempla pro lege habere dedignemur.* Atqui, mi homo, is demum temerarius censeri debet, qui, quę ab Apostolis ita gesta fuêre, ut nemo ad eadem facienda obstrictus sit, eorum tamen absolutam necessitatem aliis imponit. Multos namque etiam in primæva Ecclesia exemplis istis, minimè fletisse, jam arbitror, manifestissimum est. Ea porrò exempla, quibus præceptum aliquod sive explicitè sive implicitè appositum est, idque ad omnia tempora spectans, sequenda esse non diffitemur: veluti sunt, tùm multa alia, tùm maximè illud Christi, quod Petrus Apostolus commemorat, cùm ait: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia eius.* In quibus & idipsum numerandum est, quòd Smiglecius ad sententiam suam confirmandam perperam adducit, illa nimirum Christi verba citans:

1. Petri 2. 21.

Exem-

Exemplum dedi vobis, ut sicut ego feci, ita & vos faciatis. Quod quidem cùm nequaquàm de omnibus simpliciter Christi actionibus, sed tantùm de pedum lotione eaque mystica, intelligendum sit, ut ex ipso contextu perspicuum est, quantum Smiglecii causæ afferat præsidii dispicere non possum. Ex quo similiter apparet, falsissimum esse, quòd his Christi verbis, universale quoddam de ipsius exemplis pronunciatum contineri ait: cujus particulare sit illud Christi: *Sicut me misit Pater, sic & ego mitto vos*, cùm utrumque non solùm particulare sit: sed etiam toto genere hoc ab illo differat, hæcque posteriora Christi verba, nequaquam ad omnes omnium temporum ministros, sed ad solos Apostolos pertineant: ut facilè appareat, falsissimum insuper esse, Christum his verbis, suæ missionis legem, & regulam alios mittendi, instituere, ut insulsissimè loquitur Smiglecius. Cùm aliud sit Christum missionis legem imponere: aliud dicere, se Apostolos mittere, ut & ipse a Patre missus erat. Quod porrò dicit: *Cùm ministri in ecclesia instituendi sint, non posse meliore ratione id fieri, nisi ad eam normam cujus exemplum in Christo & Apostolis habemus*, dupliciter labitur. Primò enim principium petit, dum ministros in ecclesia, per publicam cerimoniam, planè necessariò instituendos, asserere videtur, cùm hoc ipsum in controversia sit. Deindè cùm Christus Apostolique, immediatè, ut isti loquuntur, missi sint, quomodo, quæso, ministri in ecclesia ad istam normam instituí possunt? Quod si hæc Smiglecii mens est, ut eam normam, quâ usi fuêre Apostoli, in constituendis pastoribus, retinendam esse censeat: dico nos facilè ei assensuros, modò ne planè necessariò id fieri debere statuatur. Sed si certis de causis, pastores ecclesiis præponantur, satius esse id ad memoratam Apostolorum normam, quàm alia ratione perfici. Ioan: 20. 21.

Smiglecius tamen, quò magis suam assertionem confirmet, Christi Apostolorumque exempla in duo genera distribuit, quorum alterum sequendum minimè esse dicit: veluti cùm Christum suprà mare ambulantem, ventis & mari imperantem consideramus: alterum verò ea continere ait, quæ fieri a nobis debent, aut possunt. Verùm cùm ea quæ fieri debent, quæque fieri possunt, plurimùm inter se differant, & porrò unam eandemque partem sive speciem minimè constituant: intelligendum est, Smiglecium magnum in dividendo vitium committere: cùm non solùm ex ipsius dictis: sed ipsa quoque sacrarum literarum analogia constet, hujusmodi exemplorum tripartitam esse rationem, ut nimirum vel ea imitari nec possimus nec porrò obstricti simus, i-

mus, ideoque vix aut ne vix quidem exempla jurè nominari possint: vel & possimus & debeamus: vel deniquè possimus quidem: non tamen omninò teneamur. Ac in primo quidem genere ea sunt, quæ Christus Apostoliquè miraculoso minimeque imitabili modo patrârunt. In altero verò illa continentur, quibus vel expressè vel implicitè, ut diximus, mandatum, mandativè aliqua significatio apposita est, vel quæ sequenda omnino esse, ipsa religionis natura docet. Tertium deniquè ea complectitur, in quibus istorum quæ commemoravimus, nihil apparet, ut est solennis ministrorum ordinatio, de qua inter nos disputatur. Hanc enim factitatam quidem olim fuisse, & etiam num fieri posse, nequaquam tamen omninò fieri debere, satis superque jam demonstravimus.

Pergit Smiglecius, & tanquam re confecta dicit: *Iam verò posita ordinationis necessitate, ministros Evangelicos legitima ordinatione destitui, ex eo probamus, quòd veris Episcopis careant. Semper enim in ecclesia sanctum & inviolatum habitum est, ut sacerdotes, non a sacerdotibus: sed ab Episcopis ordinarentur, eoque episcopi, a reliquis sacerdotibus distarent, quòd episcopi alios ordinandi potestatem divinitùs haberent, quâ reliqui sacerdotes non habent, ut in nostro nodo demonstravimus.* hæc Smiglecius. Nos verò dicimus, eum nec in suo nodo hoc demonstrâsse, nec demonstraturum unquam. Dixerat quidem, legitimam ministrorum ordinationem ita Episcoporum propriam esse, ut nulli præter ipsos, possit convenire. Nos verò respondimus, illum hoc nullo scripturæ testimonio probare posse. Instat tamen Smiglecius, & loco scripturæ, veterum quorundam testimonia affert, eaque Apostolicos canones nominat: commemorat insuper ecclesiæ suæ, tum episcopos, tum reliquos sacerdotes ordinandi consuetudinem, impudentiæque Volkelium arguit, qui ista neget. Primò igitur dicimus, Volkelium ista nec negare nec affirmare, quippe quæ ad se minimè pertinere, persuasum habeat, cùm non Romanæ ecclesiæ institutis judicioque sibi standum existimet, sed sacra testimonia, Apostolicumque canonem scripturis sanctis expressum requirat, quem nisi attulerit Smiglecius, nihil proficiet. Et sanè ineptissimum Smiglecioque indignissimum disputandi genus est, velle adversarium iis dogmatis convincere, quæ is pro certis indubitatisque minimè habet: & non potiùs ex illis principiis cum illo dimicare, quæ illi certa minimeque dubia sunt, perindeque habendum, ac si quis homini Iudæo, ex scriptis novi testamenti, Iesum esse Christum, ostendere institueret: cùm ea vera esse minimè credat.

Addu-

Adduxerat tamen Smiglecius aliquot scripturæ exempla, quæ nos partim id minimè continere, quod asserit, docuimus, partim ejus concludendi vim nullam habere demonstravimus. Primò enim Paulum & Barnabam ab ecclesia Antiochena ordinatum fuisse, affirmaverat: quod quidem nos negavimus, cùm Paulum jam antea Apostolum fuisse, Barnabamque unà cum Paulo jam pridem docendi munus administrâsse constet. Vnde colligitur, opus illud, ad quod Deus illos assumpserat, non munus docendi, generatim loquendo, fuisse, sed aliud quippiam idque singularissimum, & porrò nullam generalem regulam sive legem, quâ omnes perpetuò obstringantur, constituens. Smiglecius verò hanc nostram rationem ne attingit quidem, nedum convellat, & suo more, loco scripturæ, Doctorum antiquitate me studet convincere, inquiens: *At Volkelio tota Doctorum antiquitas repugnat, qui eo tempore Paulum & Barnabam fuisse ordinatos episcopos constanter tradunt, cùm ante inter prophetas & doctoros tantùm essent.* Nego autem totam & sic illam etiam Apostolicam antiquitatem hoc testificari, quippè cujus placita, non nisi ex apostolicis scriptis cognosci possint. In his autem id, quod Smiglecius asserit, non haberi, manifestissimum est, cùm insuper jam & apertissimo scripturæ testimonio & inde profluente ratione evidentissima demonstraverimus, Paulum jam ante illud tempus fuisse Apostolum, & unà cum Barnaba jam pridem docendi munus administrâsse, & porrò aliud quippiam illud fuisse, ad quod eos Deus assumpserat. Itaque quid posterior antiquitas dicat sentiatque, minimè laboramus, quippe quibus solam illam priorem Apostolicamque antiquitatem sequi certum est. Probet Smiglecius, Paulum ante illam Antiochenam actionem non fuisse Apostolum, sed tantùm Prophetam, & unà cum Barnaba tunc demum ab illa ecclesia Apostolum creatum fuisse, idque sacris testimoniis, & vincet. Ex eo enim ipso loco id convinci minimè posse, inde patet, quòd Lucas prophetas doctoresque commemorando, non dicit, quosdam eorum Apostolos minimè fuisse. Quinimò cum Apostoli maximè docuerint, nihil vetat, quominùs doctorum nomine, & hos eum comprehendisse intelligamus. Quid quòd Paulum, simul ac Christus ei apparuit, ministrum testemque illorum quæ viderat, constitutum fuisse, ex ipsius Pauli verbis clarissimũ est. Ea porrò quæ viderat, Christi resurrectione & exaltatione maximè continebantur, cujus ut testis esset, ei post mortem suam apparuit eaque verba fecit. Idem autem valere, Christi resurrectionis testem ac Apostolum esse, si rem ipsam scripturæque usum inspiciamus, Act: 26. 16.

ex illis Petri verbis colligitur, quibus in Iudæ proditoris locum aliquem sufficiendum suasit, qui esset *testis resurrectionis Christi*, id est, ut ipse semet mox explicat, *qui acciperet sortem ministerii hujus & Apostolatus*, id est, qui Apostolus fieret seu inter Apostolos connumeraretur, ut de Matthia ibidem scriptū legimus. Eundem planè sensum & illa Christi verba continent: *Et vos testes eritis, quia mecum ab initio estis.* Nec non illa Petri Apostoli: *Hunc Deus suscitavit tertio die, fecitque ut is conspicuus fieret, non toti populo, sed testibus, quos ipse prius designaverat, nimirū nobis, qui comedimus ac bibimus unà cum eo, posteaquàm resurrexit a mortuis.* Ex his omnibus testimoniis constat, oculatum Iesu Christi ejusdemque resurrectionis testem constitutum esse, re ipsa ab Apostolorum munere nihil differre. Quod quia Paulo tunc statim contigit, cùm Christus sese illi cælitùs ostenderet, quid est, cur illum eodem temporis puncto, Apostolum factum fuisse negemus? Adde quòd ipse luculentissimis verbis, non diffitente quoque Smiglecio, sese *Apostolatum suum, nec ab homine, nec per hominem*, & sic nec per Antiochenses accepisse: *& simulac Deo placitum fuit, filium suum per eum revelare, nec carnē, nec sanguinem, nec Hierosolymitanas columnas*, id est, Apostolos reliquos, in consilium adhibuisse confirmat. Quæ igitur dementia cæcitasque est, ista tam clara non intelligere nec videre? Nisi illud fortasse a sanæ mentis ratione magis abhorret, quòd Smiglecius in tota hac sua ratiocinatione, tam turpibus sese implicavit contradictionibus, ut nunquam sperâssem, tantum Theologiæ doctorem, tam parum perspicacem esse, quin difficultates istas evitaret. Primò enim dicit, *tunc Paulum Barnabamque Episcopos ordinatos fuisse.* Deinde paucis interjectis, ait, *Deum eos eodem tempore ad opus & munus Apostolicum per prophetas segregari jussisse, seu ad Evangelizandum gentibus.* Præterea dicit: *Paulum testari, se non ab hominibus, neque per hominem, sed ab ipso Deo ad munus Apostolicum vocatum esse. Hoc enim rationem Apostolatûs postulâsse, ut esset missio, & immediatè ab ipso Deo.* Et paulò post asserit, *eos Apostolos antè non fuisse: sed tunc demum fuisse creatos Apostolos.* Tandem ait, *illos Antiochenos doctores & prophetas, cùm ipsi Apostoli non essent, ordinare Paulum ad Apostolatum non potuisse: sed postquàm mandatum de segregando Paulo Barnabaque ad Apostolatum accepissent, illud ipsis adiiciendum putâsse, quod ad Apostolatus dignitatem & munus rectè obeundum, omnino requirebatur. Quare tres illi Episcopi, qui tum erant Antiochiæ: Simon qui vocatur Niger: Lucius Cyrenensis, & Manahen, indictis ieiuniis & orationibus, impositione manu-*

Act. 1, 22, 25.
Act. 1, 26.
Ioan. 15, 27.
Act. 10, 41, 42.
Gal. 1, 15, 16, 17.

manuum creaverunt illos episcopos. hæc Smiglecius. Quis autem, obsecro, hîc non videt, ea a Smiglecio dici, quæ partim inter se ex diametro pugnant, partim nullo divino testimonio comprobari possunt. Primò enim, an non repugnat, jam episcopum, jam verò Apostolum Antiochiæ factum esse? cùm inter Apostolatum & episcopatum plurimùm intersit? Item quomodo hæc conveniunt: Paulum Antiochiæ demum Apostolum creatum esse, &, Antiochenos doctores & prophetas ordinare Paulum ad Apostolatum non potuisse, cùm ipsi Apostoli non essent? Hæc quoq; quâ ratione concordent non video: Paulum neq; ab homine, neq; per hominem, sed ab ipso Deo, ad munus Apostolicum vocatum fuisse, &, eundem Paulum per Prophetas Doctoresque Antiochenses ad Apostolicum munus segregatum fuisse. Nec est, quòd hoc pacto se se elabi posse speret Smiglecius, ut aliud segregare, aliud ordinare esse dicat: cùm ipsa verborum complexio, istam distinctionem nequaquam admittat, luculentissimeque doceat, segregare Paulum Barnabamque ad opus, ad quod Deus illos assumpserat, id ipsum esse, quòd Prophetæ illi doctoresque ex Dei mandato fecerunt, quodque Lucas his verbis exprimit: *cùm ergo iejunassent, & precati essent, & imposuissent eis manus, dimiserunt eos.* Aliter enim nequaquam apparet, quomodo Dei præcepto optemperaverint, & non potiùs aliud quiddam ab eo fecerint. Neque enim dicit Lucas: postquàm illos segregâssent, addiderunt jejunium, preces, & impositionem manuum, ut nimirum Apostoli prius declarati, postea episcopi fierent, & sic Smiglecii hac de re sententia stabiliretur. Et hoc quidem primum eorum est, quę nullo divino testimonio probari posse diximus. Alterum est, quòd Paulum ante illud tempus Apostolum minimè fuisse ait, cùm rem aliter se habere jam demonstraverimus. Tertium est, quòd eos Antiochiæ episcopos creatos esse asserit, idque a tribus episcopis nimirum a Lucio, Simeone, & Manahe: cùm hos nec episcopos fuisse, nec illos in episcoporum munere constituisse scriptum legamus. Si dicat, hoc patere ex eo, quòd paulò antè prophetæ doctoresque, qui Antiochiæ fuerint, appellati sint. Respondeo, idem planè & de Paulo Barnabaque ibidem dici, eos nimirũ, ut ipse fatetur Smiglecius, *inter prophetas doctoresq; fuisse*, vel, ut significantius dicam, in illis Antiochenis prophetis doctoribusque numeratos, & quòd ex ista ratiocinatione consequens est, jam itidem, ut reliqui, episcopos extitisse. Nonné vides Smigleci, quibus laqueis teipsum irretias, & quantopere metuendum sit, ne, dum Volkelium malè sanũ caput habere dicis, tu ipse delires men-

Act: 13. 2ª

Act: 13. 1.

teque captus sis. Neque enim in sanę mentis rationem cadit, ea per vim hominibus persuadere velle, quæ nec ipsa secum consentiunt, nec ullam veri speciem habent. Verùm transeant illa: Pergendum enim est ad reliqua.

„ Dicit Smiglecius: hoc ipsum & patres intellexisse, & ex 1. Tim: 4.
„ 14. constare, episcopos, impositione manuum Præsbyterii, initiari con-
„ suevisse. Respondeo, nos, quid Patres absque scripturæ testimoniis dicant sentiantvé, minimè curare. Quod verò ex loco citato constare dicit, episcopos impositione manuum præsbyterii ordinatos fuisse, id quidem facilè concesserimus, ex hoc tamen minimè id efficitur, quod probandum susceperat, nempe, Paulum Barnabamque tunc episcopos creatos fuisse, cùm eis Antiochiæ manus imponerentur; estque manifesta consequentis fallacia, cùm manuum impositionem nequaquam ita ad episcoporum constitutionem adstrictam fuisse, quin etiam aliis de causis adhiberetur, adeò notum manifestumque sit, ut res probatione non egeat.

Dixeramus in nodi dissolutione, manuum impositionem in primæva illa ecclesia ejusmodi extitisse, ut, quibus contingebat, ii plerumque donis spiritualibus ornarentnr, in huncque eundem finem ab Apostolis aliisque, quibus ea autoritas concessa erat, usurpatam fuisse. Quæ quidem dona cùm cessaverint, quippe quæ ad salutarem doctrinam in Ecclesiæ primordiis confirmandam, spectarent: cessâsse & manum impositionis necessitatem. Smiglecius verò concedit quidem, ea
„ dona spiritualia, quę ad fidem confirmandam pertinebant, cessâsse: gra-
„ tiam verò illam spiritus sancti, quâ ad dignè munus suum obeundum
„ ordinati sanctificabantur, minimè defecisse. Hanc enim esse illam gratiam, quam Paulus Timotheum excitare jubet, datam sibi per impositionem manuum. Respondemus, nos istam gratiam Timotheo datam fuisse non negare, sed eam postea semper omnibus omnium ætatum ministris per impositionem manuum contigisse & contingere, & sic minimè cessâsse, Smiglecius nunquam probabit. *At*, inquit, *semper ipsius par est necessitas. Sine enim gratia spiritus sancti nullus tam sanctum munus dignè obire potest, ut docet expressè S. Paulus 2. Cor: 5. 5. ubi ideò, docet, nos à Deo fieri idoneos Evangelii ministros, quia non sumus sufficientes, aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hic non uno modo labitur Smiglecius. Primò enim non quæritur, an hodiernis ecclesiæ ministris, spiritu sancto opus sit nec ne: sed an perindè, ut olim, miraculoso, aspectabili & minimè communi modo, id-

do, idque per impositionem manuum, dona spiritualia in eos conferantur. Nos igitur fatemur quidem, internam spiritus sancti donandi rationem, quâ Deus hoc tempore utitur, tùm omnibus Christianis, tùm præcipuè ministris necessariam esse; aspectabili tamen modo, perque impositionem manuum id minimè fieri, res ipsa testatur. Vt enim manuum impositio cerimonia externa aspectabilisque erat; ita plerumq; aspectabilis Spiritus sancti donatio eam consequebatur, idque, ut diximus, religionis Christianæ in illis ecclesiæ principiis confirmandæ causâ. Quod cùm hac seculorum ætate minimè fieri ipso sole clariùs sit, quis non videt, rectissimè nos dixisse, simul & ejusmodi manuum impositionem cessâsse, nisi fortè aliam ob causam, nequaquam autem necessariò, in ecclesia retineatur.

Deinde quod Smiglecius illo Pauli testimonio suam sententiam constitui putat, quo negat, *se ex se, tanquam ex se, aliquid cogitare, sufficientem esse*, toto cælo errat, cùm hîc non quæratur, unde & quomodo Paulus aliique Apostoli ad ministerium suum idonei facti fuerint; sed, an hodierni ministri, per manuum impositionem, spiritum sanctum accipiant. Quid, quòd, ut ipse Smiglecius suprà fassus est, Paulus aliiq; Apostoli manuum impositione ad munus apostolicum ordinati minimè fuêre? Quâ fronte igitur hæc Apostoli verba, ad impositionem manuum, quâ hodierni ministri ordinentur suoque officio idonei reddantur, confirmandam adduxit? Quòd si dicat, Apostolum & de se & omnium temporum ministris loqui: primò id probandum erat. Deinde cogitandum, nos hinc facilè colligere posse, etiam eos a Deo ad ministerium idoneos reddi, qui manuum impositione carent, veluti fuerunt Apostoli illique dispersi. Quo in loco animadvertendum est, hoc insuper inter Apostolos eorumque socios, quod ad spiritum sanctum attinet, & nostros ministros, interesse, quòd illi nequaquam religionem ante se ab aliis promulgatam literisque consignatam, & indubitatis argumentis confirmatam, apud homines proposuêre, ut nostri ministri faciunt: sed illi ipsi fuerunt, qui primi eam humano generi tradiderint, & ideò rem novam anteaque inauditam annunciaverint: ut minimè mirum sit, eos insufficientes fuisse, ex sese, tâquam ex sese, vel cogitare aliquid, id est, quod alicujus esset momenti; cùm talia absque singulari divini spiritus munere suscipi, ne dum perfici, nulla ratione possint. Atqui hodie secus res habet, cùm nostri ministri non habeant necesse, novi aliquid cogitare aut prædicare, sed satis sit, eos illa, quæ jam ab Apostolis, divino spiritu suggerente, cogitata literisque prodita

sunt, repetere perpetuoque inculcare. Quam quidem ad rem tanto spiritus sancti munere, quanto Apostoli prædíti fuêre, opus non esse, res ipsa indicat: quanquam Deum rogandum orandumque assiduò esse, ut eos spiritu suo ad officium exequendum aptissimos reddat, minimè diffitemur. Sed jam ad tertiæ demonstrationis examen veniamus.

Caput XIIII. Cujus inscriptio est:

Examen tertiæ demonstrationis, quâ ostenditur, ministros Evangelicos potestate peccata remittendi carere, ideoq; veros ministros non esse.

Quicunque potestate remittendi & retinendi peccata carent, non sunt legitimi Evangelii ministri.
Ministri Evangelici carent hujusmodi potestate.
Non sunt igitur legitimi evangelii ministri.

Nos Syllogismi istius negaveramus majorem. Si namque vera esset, sequeretur, neminem præter Apostolos, legitimum ministrum esse posse, propterea, quòd solis Apostolis, ea potestas data sit. Eam quippè nihil aliud esse docuimus, quàm primam, perfectam exploratissimamq; tùm scientiam tùm pronunciationem aut declarationem, quibushominibus peccata condonanda, quibusque retinenda sint, vel quibus vita æterna, quibusque sempiterna pernicies destinata sit. Hanc autem solis Apostolis datam esse, & interim eos etiam, qui hac potestate carent, modò inculpabiles ad docendumque apti sint, legitimos ministros esse posse, compertissimum est. Potestatem autem remittendi retinendique peccata, non nisi illam primam exploratissimamque tùm noticiam tùm pronunciationem, quibus peccata remittenda, quibusque retinenda sint, declarare, ex eo constat, quòd ejusdem rei ratione Petro aliisq; Apostolis claves regni cælorum a Christo traditæ sunt, id est, potestas aperiendi claudendique regnum cælorum. Is enim rem quampiam aperire meritò dici videtur, qui eam, cùm antea occulta & quasi clausa esset, primus non solùm patefacit, sed etiam ejus assequendæ & quasi ingrediendæ rationem viamque ostendit. Contra verò is eam claudere existimandus est, qui primus indicat, quid homines ab illius ingressu usuque prohibeat. Cùm igitur Apostolos illos fuisse constet, qui primi, post Christum, terrarum orbi regnum cælorum, ejusque ingre-

ingrediendi viam monſtraverint, primiq́ue, qui ab eo, quaq́ue de cauſa ſint excludendi, pronunciaverint, parumné liquet, poteſtatem remittendi retinendiq́ue peccata, quæ clavium nomine appellatur, id ipſum ſignificare, quod paulò ante diximus? Quæ quidem res, quo confirmatior ſit, intelligendum inſuper eſt, Apoſtolos eadem de cauſa, & fundamentum nominari, idq́ue in eodem verborum contextu, ad eandemq́ue planè rem reſpectu habito; nimirum quia, quemadmodum qui domum aliquam ædificare inſtituit, is omnium primò fundamentum ponit; ita Chriſtus hoc Dei domicilium fabricaturus, ab Apoſtolis initium duxit, eosq́ue omnium primò Dei ſuiq́ue ipſius noticiâ inſtituit, quæq́ue ad ſalutem via eſſet, edocuit, ut per illos tanquàm primos eccleſiæ fundatores, omnes alios homines cæleſti veritate illuminaret. Dixeram hæc omnia ferè in nodi diſſolutione: ſed Smiglecius partim ea ſuo more diſſimulavit, partim nihil ſolidi illis oppoſuit, partim verba noſtra ita depravavit, ut cavillandi puerilitérque ludendi occaſionem haberet. Inquit enim: *Iam verò Volkelius, poteſtatem peccata remittendi a Chriſto conceſſam, ita interpretatur, ut nihil aliud eſſe velit, quàm prædicationem & declarationem, quibus hominibus peccata a Deo remittantur, quibus retineantur. Id ſi ita eſt, conſequetur primùm, eos omnes, qui declarare eam Dei voluntatem de peccatis remittendis poſſunt, poſſe quoque peccata remittere, etiam pueros, etiam fœminas, etiam dæmones: quid enim obſtet, quo minus Dei voluntatem in ſcripturis declaratam, ſi velint, annuncient.* O verò gravem eruditumq́; hominem, qui de rebus ſeriis, quippè divinis, nõ ſolùm ſcurriliter jocari, ſed etiam aliorum verba odiosè pervertere non dubitat. Nõ dixi ego, poteſtatem peccata remittendi nihil aliud eſſe, quàm declarationem & prædicationem, quibus hominibus peccata a Deo remittantur, quibus retineantur: ſed eam nihil aliud eſſe dixi, quàm primam, perfectam exploratiſſimamq́ue, tùm ſcientiam, tùm pronunciationem aut declarationem, quibus hominibus peccata condonanda, quibus retinenda ſint. Quis igitur non videt, me iſtis tuis inaniſſimis minimèque te dignis cavillationibus ita obviam iviſſe, ut nullam planè cauſam habueris, iſta tàm levia vanaq́ue in medium proferendi: nimirum pueros etiam & fœminas dæmonesq́ue prædicare peccataq́ue remittere poſſe: Cùm prima, perfecta exploratiſſimaq́ue rerum memoratarum ſcientia & pronunciatio, omnes, non ſolùm pueros fœminasq́; & dæmones, ſed etiam omnes alios miniſtros, & porrò etiam Smiglecium unà cum ipſius ſociis ab iſta poteſtate excludat. Facis igitur, Smigleci, alios riden-

ridendo, ut ipse ab omnibus irridendus proque homine parùm considerato habendus meritò sis. Quod quidem ita esse, ex eo apparet, quòd mea verba, uti a me scripta erant, subjungens, ipse contra te tuamque levitatem testimonium dicis, hoc pacto. *Neque enim benè suam causam tuetur Volkelius, cùm solis Apostolis hanc potestatem concessam esse affirmat, non aliis ministris, eo quòd Apostoli primi omnium, & quidem cum perfecta & exploratissima scientia, hanc peccatorum remissionem promulgârunt, alii verò ministri prædicationem Apostolicam solùm repetunt. Nam si peccatorum remissio prædicatione continetur, consequens est, ut ad quos ea prædicatio pertinet, remissio quoque peccatorum pertineat. Primò quidem ad Apostolos, deinde verò ad alios, qui in prædicandi officio Apostolis successerunt. Etenim quemadmodum Apostoli, etsi primò prædicârunt, alios tamen, qui post ipsos prædicaturi erant, a prædicandi munere non excluserunt: ita neque ab ea, quæ ex prædicatione consequitur, peccata remittendi potestate. Nihil igitur obstat, dæmonem Arianis prædicare remissionem peccatorum posse, & ex ea prædicatione Arianos a Cacodæmone consequuturos peccatorum remissionem & indulgentiam, in forma Iubilæi amplissima, non minus, quàm cùm eandem remissionem prædicarent Apostoli.* Hîc rursus intelligendum est, nos non dicere, peccatorum remissionem prædicatione contineri. Ambigua enim hæc esset oratio, remque qua de agitur, non satis exprimens: cùm, ut jam ostendimus, claves istæ sive peccata condonandi retinendique potestas, non in prædicatione simplici aut generali; sed in pronunciatione illa prima, & non in hac solùm; sed simul in exploratissima rei istius scientia constituta sit. Citavit Smiglecius hæc mea verba, in quibus, licèt omnia ista, ipso etiam teste, expresserim, solùm tamen prædicationem arripuit, ut nimirum quam candidè ageret, quamque veritas sibi cordi esset, omnibus patefaceret. Ex quo consequitur, hæc ipsius verba nullius ponderis esse: *Consequens est, ut, ad quos ea prædicatio pertinet, remissio quoque peccatorum pertineat: primò quidem ad Apostolos: Deinde verò ad alios, qui in prædicandi officio Apostolis successerunt.* Quis enim hîc non videt, Smiglecium cum sua umbra pugnare? cùm, ut ostendimus, & alia nostra verba fuerint, & porrò ex illis nequaquam, quod hîc Smiglecius somniat, concludi possit. Prima enim, perfectissima exploratissimaque rei istius, de qua agimus, tùm scientia, tùm pronunciatio, ita comparata est, ut ad neminem, præter Apostolos, pertinere possit, & porrò nequaquam, primò Apostolis, postea reliquis ministris conveniat, cùm Apostoli nullum hac in re possint habere successorem, quippè qui,

pè qui, ut demonstravimus, eam ipsam ob causam ecclesiæ fundamentum appellati sint, quod cùm semper in ædificio primum sit, successionem omnem excludit. Inania igitur prorsus sunt, quæ postmodum addit Smiglecius: *Etenim quemadmodum Apostoli, etsi primò prædicârunt, alios tamen qui post ipsos prædicaturi erant, a prædicandi munere non excluserunt: ita neque ab ea, quæ ex prædicatione consequitur, peccata remittendi potestate.* Intelligendum quippè est, primæ perfectissimæ exploratissimæque scientiæ ac pronunciationis, eam esse naturam, ut ipsa per se ac necessariò omnes alios ministros excludat. Illud igitur prædicandi munus, a quo Apostoli reliquos ministros non excluserunt, nequaquam illud est, in quo potestas remittendi retinendique peccata continetur, sed ejusdem quædam repetitio, ad quam nulla hodiernis ministris opus est Apostolica autoritate aut singulari missione, cùm ista ad rem novam terrarum orbi annunciandam requiratur, ut sæpissimè à nobis demonstratum est. Ex quo facilè apparet, nostros ministros non ipsos suavé autoritate declarare aut pronunciare, quis a peccatis absolvendus, quis verò damnandus sit, sed, quid olim hac de re Apostoli tradiderint, hominibus exponere. Hæc si Smiglecius justis ponderibus examinâsset, nunquam se tam turpiter dedisset, ut in re verissima divinissimaque tam obscœnè cavillaretur. Et tamen non potest sibi ab ista verborum turpitudine temperare, dicit enim: *Nihil igitur obstat, dæmonem Arianis prædicare remissionem peccatorum posse, & ex ea prædicatione Arrianos a cacodæmone consecuturos remissionem pecatorum & indulgentiam.* Imò sunt, quæ obstent, cavillator. Primò enim, ut quis ea prædicatione, de qua loquimur, uti possit, necesse est, ut ex eorum genere sit, quibus Deus hujusmodi actiones competere voluit. Quod quidem genus, non angelorum, quantumvis bonorum, nedum malorum, sed hominum esse, ipse Smiglecius libri sui pag: 49. non solùm asserit, sed aliquot etiam rationibus demonstrat. Quæ igitur, malùm, dementia est, tùm sibi ipsi turpissimè repugnare, tùm instantiam planè heterogeneam, contra logicam disciplinam afferre, & quod turpissimum est, tantopere sibi de maxima ignorantia inanissimaque cavillatione placere? Rusticis & omnibus doctrinæ expertibus hominibus, atque adeò scurris, istam disputandi, ne dicam nugandi, rationem permisisset magnus iste Doctor, ipse verò gravitati studuisset, quæ ut semper, ita maximè tunc servanda est, cùm res divinas tractamus. Et quidem si ultionis studio teneremur, Smiglecium suoipsius gladio jugulare possemus. Neque enim difficile esset, ostendere, diabolicas

bolicas doctrinas, quarum Paulus 1. Tim: 4. meminit, apud istos maximè vigere, in quibus & horrenda idololatria, & illa a veritate defectio, quam idem Apostolus diabolo adscribit, numeranda est; ut facilè appareat, diabolum apud istos prædicare, istorumque peccatorum remissionem ita annunciare, ut pro peccatis minimè habeantur. Ita nimirum diabolus illis prædicat peccataque remittit. Quæ quidem uberius evidentiusque demonstraremus, si par pari referre nobis propositum esset.

Deinde & hoc obstat, quo minus diabolus, non solùm prima illa Apostolorum prædicatione uti, & sic peccata verè remittere, sed etiam eandem repetere possit, quòd ad eam rem nec aptus est, nec ut hoc
Ioan: 8. 44. faciat, a se ipso impetrare potest. Est quippè mendax, & ideo veritatem prædicare nescit, & non ad salutem, sed perniciem hominum intentus.

Pergit autem Smiglecius aitque: *Quid, quòd nec ministris opus esset, imò ne prædicatione quidem, ad eam, quam isti fingunt, peccata remittendi rationem. Posset enim quilibet absque ministro sibi ipsi ex sacris literis eam Dei voluntatem & decretum repræsentare, sibique ex consequenti peccata remittere, quo nihil absurdius dici potest.* Hanc suam objectionem Smiglecius in nodo suo multò commodius uberiusque expressérat, hoc pacto: *Si ita res haberet, nullo opus esset ministro: cum sic quilibet ea, quæ Apostoli de remissione ac retentione tradiderunt, sine ministro, vel ipse legere in scripturis posset, vel ab aliis, qui non sunt ministri, discere, vel sibi ipsi in mente revocare.* Nos responderamus, non satis esse, ad ministerium tollendum, ostendere, quemlibet Apostolorum doctrinam vel ipsum legere sibique in memoriam revocare, vel ab aliis discere posse: sed necesse insuper esse, demonstrare, omnes homines tam esse in percipiendo solertes, ut nullo indigeant doctore, ad rei istius, qua de agitur, rationem planè intelligendam, & tam in faciendo officio diligentes, ut nullo opus sit monitore, & tam contra carnis, mundi diabolique impetus armatos, ut nullo egeant gubernatore vel duce, & denique tam vigilantes atque circumspectos, ut ad eos suscitandos inque officio continendos nullus requiratur custos. Hanc nostram responsionem non refutavit Smiglecius, nec, quod diceret, habuisset, nisi suo more aliquot mihi verba affinxisset. Inquit enim: *Neque verò satis facit Volkelius, cùm ait, aliquos solertiores ministro non egere ad remissionem peccatorum, sed rudiores duntaxat. Quasi verò ad hoc Dei decretum intelligendum, tantum lumen requiratur, ut a rudissimo quoque intelli-*

intelligi non possit. Respondeo primò, Volkelium nunquam dixisse, aliquos solertiores ministro non egere ad remissionem peccatorum, ut omnibus verba mea legentibus (quæ eam ipsam ob causam hîc, ita ut jacent, repetere placuit) clarissimè patere arbitror. Si dicat, hanc sententiam verbis meis inesse: Ne sic quidem justam reprehensionem effugiet, cùm aliud sit, quempiam verbis istis, quæ mihi affingit, uti; aliud, ex illis quippiam colligi posse. Adde, quòd ne hoc quidem ita sese habet; cùm non solùm hanc causam attulerim, cur ministerium minimè tollendum sit, sed aliquot etiam alias, quas omnes auferri oportet, si ministerio minimè opus esse ostendere volumus; Idque non in uno alteroque ecclesiæ constitutæ membro, sed in omnibus: ita ut nullus in ejusmodi ecclesia reperiatur, qui dictas ob causas ministro non indigeat. Addidi reliquis istius causis rei, & decus ordinemque in ecclesia servandum; & ideò probandum insuper est, sine hoc quoque ecclesiam satis rectè gubernari posse. Et hoc quidem illud est, quod passim in libro nostro inculcamus, ministrorum ordinationem, quamvis non absolutè, ex ea tamen parte necessariam esse, quatenus ista omnia quæ percensuimus, absque illa non ita benè commodeque haberi possunt, ut, cum adest, habentur. Ex quo fit, ut Smiglecius, unâ tantum causâ idque insidiosè arreptâ, reliquis omnibus omissis, nullam absurditatem ex nostris verbis concludere potuerit. Ex altera parte tamen dicimus, si eveniat, ut quispiam, certis de causis, ibi vitam degere non possit, ubi ecclesia constituta existat, interim tamen ex prima illa exploratissima Apostolorum prædicatione didicerit: Omnibus Christo confidentibus atque obedientibus, peccata remissum vitamque æternam donatum iri, ipseque sese ex isto numero esse sentiat, nequaquam absurdum esse, hunc, non quidem sibi ipsi peccata remittere, ut absurdè loquitur ipse Smiglecius, sed, sibi peccata remissa esse, firmissimè credere.

Constat igitur, ut ad rem redeamus, Smiglecium, ista absurda ex nostris dictis colligendi, nullam causam habuisse, & sic etiam ea vanissima esse, quę postmodum infert: *Quod, ut per se absurdum est, ita convincit manifestè, peccatorum remissionem non sola remissionis prædicatione contineri. Quocirca & Apostoli, non prædicatione remittebant peccata, sed solùm media indicabant, a Christo instituta, ad peccatorum remissionem consequendam. Cum enim Petrus prædicâsset remissionem peccatorum, in prima sua post acceptum spiritum S. concione, non illicò illos peccatorum remissionem consecuturos pronunciavit, etiamsi prædicationi credidissent,*

sed pœnitentiam agere iussit, & baptizari unumquemque in remissionem peccatorum Act:3.39. Paulo etiam Ananias, post prædicatam fidem & remissionem peccatorum, indicavit baptismi sacramentum. Exurge, inquit, & ablue peccate tua, Act: 22.19. *Si igitur Apostolos & Apostolicos viros huius potestatis, quam Christus ad peccata remittenda reliquit, interpretes adhibeamus, intelligemus profectò, solam remissionis prædicationem non esse peccatorum remissionem, nec eos qui prædicationi assentiuntur, illicòconsequi remissionem peccatorum, nisi ad sacramentum baptismi accedant, inquo ex Christi instituto peccata remittuntur.* Respondeo, hîc rursum partim cum sua umbra pugnare Smiglecium, partim terminos mutare, & sic nihil, pace ipsius dixerim, ad rem loqui. Ac illud quidem ita, ut id impugnet, quod nos nunquam asseruimus aut defendendum suscepimus: peccatorum nempè effectivam cõdonationem, sola prædicatione contineri. Hoc enim itidem, ut Smiglecius, pernegamus. De effectiva autem peccatorum remissione cum hîc loqui, ex eo patet, quod mox suppositis Petri Ananiæque exemplis probare instituit, homines non mox, audita admissaque eorum prædicatione, peccatorum remissionem consecutos esse. Atque hinc & hoc alterum apparet, videlicet, Smiglecium terminos mutare, & porrò nihil ad rem dicere. Satis enim cum intellexisse, nos non de ejusmodi prædicatione verba facere, quâ actu ipso peccata remittantur, sed quâ pronuncietur declaraturque, quibus peccata remittenda quibusque retinenda sint, ex his verbis ipsius patet. *Iam verò Volkelius, potestatem remittendi a Christo concessam, ita interpretatur, ut nihil aliud esse velit, quàm prædicationem & declarationem, quibus hominibus peccata a Deo remittantur, quibus retineantur.* Quanquam autem, ut suprà ostendimus, non eadem planè verba nostra hîc a Smiglecio recitentur, cùm nos de prima illa exploratissimaq; rei istius pronunciatione, ab Apostolis facta, loquamur. Effectivam tamen peccatorum remissionem nos prædicationi minimè tribuere, satis hîc ipse Smiglecius testificatur. Quid igitur est causæ, cur, quasi sui oblitus, statum quæstionis nostræ ita mutet alioque torqueat, ut quid dicatur, ipse non intelligere videatur?

Pergit autem, & hunc in modum loquitur: *Accedit, quòd Christus certos nos fecit, iis peccata remissum iri in cælo, quibus Apostoli remisissent in terris: id si de prædicatione remissionis intelligatur, invertetur Christi sententia & omnis verborum ordo. Non enim quibus homines peccata remiserunt in terris, Deus remittet in cælis: sed quibus Deus ante remiserit in cælis, homines per prædicationem annunciabunt, remissa esse in ter-*

in terris: alioqui falsum annunciarent, peccata esse remissa in terris, nisi ante fuerint remissa in cælis. Neque verò Christus dixit, quibus remittenda promiseritis, sed, quibus remiseritis. Is enim qui solùm remittendum promittit, remittere non dicitur. Ad hanc Smiglecii objectionem responderamus in nodi dissolutione, quam nostram responsionem ab eo refutari oportuit, si causam suam tueri voluit. Non gravabimur tamen, ea quæ dixeramus, paulò explicatiùs repetere. Intelligendum igitur est, fieri non posse, ut immutabile Dei decretum, de salvandis illis qui credunt, damnandis verò qui contra faciunt, ita hominum voluntati subjiciatur, ut pro suo arbitrio illud mutent. Ex quo necessariò consequitur, tunc demum remissionem retentionemq; peccatorum, quæ in terris fit, in cælo ratam firmamque fore, cùm ab illo decreto Dei ne latum quidem unguem discedatur: & porrò verissimum esse, quod in priore nostro scripto diximus: potestatem remissionis peccatorum pronunciandæ sive declarandæ, nequaquam simplicem absolutamque fuisse, sed conditionalem, ut nimirum, qui istam potestatem habuerunt, terrarum orbi, sine ulla dubitatione denunciarent, omnes in Christum credentes salvatum, omnes verò non credentes damnatum iri.

Frustra autem timet Smiglecius, ne Christi sententia ordové verborum invertatur, modò ad ipsius Dei Christique mentem accõmodetur. Perinde enim esse, res ipsa docet, quasi Christus Apostolos suos hunc in modum allocutus fuerit: *Ego mitto vos, ut decretum Dei, cujus ego interpres sum, hominibus promulgetis, nimirùm eos, qui crediderint atque obtemperaverint, ad sempiternam salutem, qui verò contra fecerint, ad æternam perditionem designatos esse. Si igitur in terris hoc Dei consilium meo nomine eoq; prorsus modo, quo vobis a me explicatum est, proposueritis, omnino hoc vestrum factum in cælis approbabitur, ratumque ac firmum semper futurum est.* Hanc esse Christi mentem, ipsa scripturæ analogia convincit, nec ordo verborum invertitur, cùm hoc Smiglecii pronunciatum non planè verum sit: *Non quibus homines peccata remiserint in terris, sed quibus Deus antè remiserit in cælis, homines per prædicationem annunciabunt remissa esse in terris.* Nam alia est ratio divini decreti, alia prædicationis, præsertim si modus loquendi divinis scriptoribus usitatus spectetur. Nusquam enim is in scriptura dicitur peccata remittere, peccata expiare, peccata purgare, qui id facere decrevit: sed qui vel re ipsa id facit, vel hoc fieri, aut factum esse declarat seu pronunciat. Cùm igitur Deus neutrum tunc fecerit, cùm

decretum istud seu consilium iniret, vanum esse, quod hîc Smiglecius de ordinis inversione dicit, nemo non videt.

Illud quoque Smiglecii causam nihil juvat, quod ait: *Christum non dixisse, quibus remittenda promiseritis, sed, quibus remiseritis, cùm is, qui solùm remittendum promittit, remittere non dicatur;* quippe cùm hoc partim falsum sit, partim ejus, quod vult Smiglecius, concludendi nullam vim habet. Ac illud quidem ex eo patet, quod illos legales pontifices peccata expiâsse, mundâsse atque occultâsse (quod idem est ac remisisse) scriptum legimus: quia nimirum sacris ritè peractis, peccata divinitùs condonata esse declarârint, ut & res ipsa convincit & multi doctissimi viri annotârunt. Neque enim sacrificia illa tantam vim in se continebant, ut re ipsa peccata remittere expiareque possent: sed singulari Dei decreto fiebat, ut sacrificiorum cerimoniâ, ex ipsius præscripto, per sacerdotem confectâ, populus de peccatorum remissione certissimus esset. Quid igitur vetat, quo minùs & Apostoli hoc sensu peccata remisisse dici possint? Quinimò cum peccatorum remissio, in novo fœdere, vitæ æternæ donatione contineatur, Apostolique nequaquam, nedum alii ministri, vitam æternam dare possint, cùm hoc nemini, præter Christum, a Deo concessum sit: parumne liquet, remissionem peccatorum, non nisi eo, quem diximus, sensu, Apostolis tributam esse? Ex quo apparet, & alterum verissimum esse, nimirum ex eo, quòd Christus non dixit, quibus remittenda promiseritis, sed quibus remiseritis, minimè consequens esse, Apostolos reipsa peccata remisisse, nisi eos vitæ æternæ donandæ potestatē habuisse volum⁹. Ne miretur igitur Smiglecius, *nos dirissimam blasphemiam* existimare, si quis dicat, remissionem peccatorum, quæ in cælo fiat, ab ea pendere, quæ fit in terra, nec, Christum ipsum hoc affirmare dubitet.

Nam præterquam, quòd sic loquendo, horrendam blasphemiam committet, nunquam Christi eam mentem esse probabit, ut satis jam docuimus. Nec ea quæ subjungit, quicquam ponderis afferunt, ad stulticiam istam defendendam, videlicet: *Deum, cum aliquid interventu hominum facere decernit, non sua se potestate privare, sed potius legem eam sequi, quam ipse suis actionibus præscripsit.* Atqui si Deus sua sese potestate non privat, quomodo ab hominum instituto pendet? aut qua ratione probabitur, illum sibi eam præscripsisse legem, ut hominum nitatur arbitrio? cùm nequaquam divinæ maiestati consentaneum sit, ita sese abjicere, ut ullo modo ab hominibus actionum suarum suspensas rationes habeat, etiam tunc, cùm hominum interventu aliquid facere

decer-

decernit: quandoquidem Deum decernere, hominum interventu aliquid facere, idem planè est, quod, per homines aliquod agendi consilium inire. Tantum verò abest, ut qui per alium agit, ab eodem dependeat, ut potius per se ipsum agere, omnium sapientum judicio dicatur, & porrò ii, quorum in agendo operâ utitur, planè ex ipso pendeant, quamvis quod illius jussu faciunt, approbet, perindeque habeat, ac si ipse fecisset. Neq; enim ullum vel scripturæ testimonium, vel exemplum afferre potest Smiglecius, quo Deum sibi legem imposuisse doceamur, ut ab hominum arbitrio penderet; aut quo declaretur, Deum hominum interventu quippiam facere, aliud esse, quam eundem per homines facere. Quòd enim hoc in remissione peccatorum, quæ ab hominibus in terris peragatur, fieri dicit, id præterquàm quòd falsum esse jam demonstravimus, etiam illam legitimæ dispositionis legem violat, quâ vetamur, illud ipsum, de quo quæritur, instantiæ exemplive loco adducere.

Sed enim exemplum Iosuæ producit, *cujus voci tunc Deus obedierit, cùm soli imperaret, ut consisteret.* Atqui hoc ad rem, quam sibi probandam sumsit Smiglecius, nihil affert momenti. Primò enim aliud est, Deum perpetuam sibi legem ab hominibus dependendi imponere, aliud quoque, eundem semel tantùm beneficio quodam inaudito populum suum afficere, ut isto in loco factum fuisse ipse verborum contextus declarat, cùm & Deum pro populo Israelitico tunc pugnasse, & Iosuam, antequam verba sua ad solem dirigeret, ipsum Iehovam allocutum esse, ibidem scriptum legamus: quod sine dubio non mandâsse eum Iehovæ significat (quid enim absurdiùs aut insolentiùs excogitari possit, quam humanam creaturam, quæ pulvis umbraque est, ira se efferre, ut creatori suo, quo nihil altius potentiusque est, per inauditam superbiam imperet?) Sed potiùs eidem supplicâsse, ut divinos homines fecisse constat, quoties miraculum aliquod patrandum fuit. Nec est, quòd verba, *obediente Deo voci hominis*, urgeat; cum nequaquam, isto in loco, imperium præsupponant, idque tùm propter jam dictam causam, tùm quod ecclesiastici capite 46. 5. (ubi eadem planè res commemoratur) sic scriptum legimus: *Nonné ad manum illius retrogressus est sol, & unus dies fuit ut biduum? Invocavit altissimum principem, cùm affligeret inimicos circumquaque, & magnus Dominus exaudivit eum*, ut facilè appareat, Deum ita voci illius obediviſse, ut preces ejus exaudiverit: quanquam non desunt viri doctissimi linguæque hebraicæ peritissimi, qui in suis Bibliis, non obediviſse, sed auscultâsse Deum

Iosue 10. 12.

Deum voci Iosuæ, legendum doceant, quod verbum sæpissimè pro verbo, audiendi, usurpari, compertissimum est. Si dixerit quispiam, etiam tunc pendere Deum ab hominum voluntate dici posse, cùm illorum precibus movetur. Respondeo, hinc contrarium potius colligi, cùm is ab altero pendeat, qui eo nõ juvante aut dante, id quod expetit quoque indiget, habere non potest, id quod in precibus alteri exhibitis maximè cernitur. Adde quòd Deus nequaquam ad preces hominum audiendas ita adstrictus est, quin, si velit, aliter facere possit, quippe qui tum demum precibus hominum moveatur, cùm secundùm ipsius voluntatem fiunt. Qua de causa illum eos etiam sæpè non exaudivisse legimus, qui ipsi alioqui charissimi fuêre. Quid, quòd si maximè precum ratione Deum ab hominibus pendere, contra sanæ mentis rationem concederemus, nihil tamen istud ad rem faceret, cùm Apostoli, non precibus potestatem remittendi impetrârint, sed Deo ita decernente perque Christum ea, quam diximus, ratione, in hoc munere illos constituente illud executi fuerint. Quòd si verba ex Ecclesiastico modò a nobis citata, non ad præcedens orationis membrum, nimirum ad id, quod de sole retrogresso dicitur, quispiam referendum urgeat, sed ad posterius, ut legatur, Deum Iosuam exaudisse, immissis lapidibus & grandinis potentia vehementi: non repugno quidem, sed interim valdè absurdum esse dico, Iosuam iam Deo supplicâsse, id petens, quod factu videbatur facilius, utpote naturæ ordinem nequaquam evertens: jam verò eidem Deo imperâsse, ut (quod factu difficilimum videbatur) naturæ cursum constantissimum a seque sapientissimè constitutum, inhiberet atque mutaret. Neque est, quòd adeo Iosuam Deo familiarem fuisse, quispiam autumet, ut non dubitaverit, audaciùs aliquantum cum illo agere, & sic interdum etiam imperare. Hoc enim in illum minimè cadit, qui sese pulverem umbramque, Deum contra ignem consumentem esse; quantumque periculum esset, maiestatem ipsius, pro eo ac par est, minimè revereri, ignorare non potuit. Iam enim viderat, quid Mosi, quid Aaroni, quid reliquis Israelitis in deserto accidisset. Abraham certè multò quàm Iosua Deo familiarior fuisse videtur, quippe qui eam ipsam ob causam, amicus Dei appellatus fuerit: attamen quàm timidè quamque verecundè, non ipsum Deum, sed angelum, ipsius personam sustinentem, allocutus fuerit, Moses luculentissimè testificatur. Sed esto, fuerit Iosua tam audax impudensque, ut Deo imperaret, num protinus sequitur, Deum abillo pependisse, aut legem, quam ipse sibi præscripserit, secutum fuisse? Nequa-

2. Cor: 12. 8. 9.

Iacob: 2. 23.

quaquam: cùm nec ista consequentia ulla ratione probari possit: nec quicquam obstet, quin Deus mera sua voluntate, nulla lege obstrictus, Iosuæ satis fecerit.

Pergit Smiglecius & dicit: *Ridiculus verò est Volkelius, cum in hunc modum potestatem peccata remittendi, quam asserimus, impugnat: Si* inquit, *Potestas efficientiam remissionis & retentionis peccatorum contineret, omninò statuendum esset, eos qui hac potestate fuerint præditi, re ipsa efficere in hominibus, ut voluntate sua ea præstarent, quæ necessaria sunt ad remissionem peccatorum obtinendam, similiter & illa, quæ eos ab hac remissione excludunt. Quod cùm nec Deus ipse faciat (liberam enim homini voluntatẽ reliquit faciendi quodlibet) verisimile non est, hominib: id eum concessisse.* Hîc respondeo, ipsum Smiglecium non solùm ridiculum, sed etiam in me injuriosum esse: Et hoc quidem ideò, quod in meorum verborum locum sua verba substituit. Par enim omninò mihi esse videtur, ut sua suis, mea autem meis verbis exprimat. Tametsi enim, non tàm de verbis, quàm de re ipsa inter nos agatur: Tamen, cùm facilè ex verbis alterius perperam citatis, animi parùm candidi suspicio, multis de causis, nasci possit, prudenti viro id vitii omninò cavendum judico. Huc accedit, quod fieri potest, ut alterius verba dum muto, legitimam eorum constructionem violem, & ita per summam injuriam, vitium, quo ipse laboro, in alterum conferam.

Iam ad illud alterum quod attinet, dico, Smiglecium ideò maximè ridiculũ esse, quod rem manifestissimam negare nõ dubitat. Cùm enim firmitera Deo constitutum sit, ut non nisi illis peccata condonentur, qui Christo confidunt, seu in eum credunt, necesse omninò est, Apostolos, si effectivè, ut sic dixerim, hominibus peccata remiserunt, simul re ipsa effecisse, ut in Christum crederent. Quod cum ne ipse quidem Smiglecius concedere videatur, consequens est, nullo alio modo Apostolos peccata remisisse & retinuisse, quàm primò certoque pronunciando, credentibus in Christum peccata remissum, non credentibus autem retentum iri. Hîc si Smiglecius id respondere voluisset, quod aliqua saltem ex parte ad rem faceret, dixisset, ad reipsa hominibus peccata condonanda vel retinenda, minimè necesse fuisse, ut Apostoli fidem Christo debitam, hominum pectoribus insererent, cùm eam jam in illis esse, perspicere, & ideò sine ulla dubitatione, ea, qua dictum est, ratione, peccata illis remittere potuerint. Verùm ne sic quidem elabi potuisset: cùm Apostoli nec exploratores cordium, in quibus maximè fides latet, fuerint, nec, si quacunque ex parte aliquem in Chri-

stum credere cognovissent, statim re ipsa peccata remittere potuissent, sed potiùs ea remissa aut remissum iri declarare, respectu nimirum habito ad Dei decretum, quod de credentibus in Christum remissione peccatorum donandis jam ante mundi constitutionem fecerat. Quo pacto igitur, Smiglecius, potestatem istius rei Apostolis concessam, in ipsa remissionis peccatorum efficientia sitam esse probare possit, non video. Et tamen rationem illam meam stramineam appellat, dum ipse responsionem ex paleis conflatam affert, inquiens: *Ipse Deus nulla facta vi voluntati, peccata remittere potest: Cur non idem possint & homines?* Respondeo, hanc ob causam id ab hominibus fieri non posse, quod inter Deum hominesque insignis, quantum ad hanc rem attinet, distantia est: cùm Deus & hominum mentes introspiciat, & ideò, quis credat, quis minimè, exactissimè nòrit: & solus, non tantùm credentibus peccata condonare, non credentibus autem retinere, jam antè decreverit, verùm etiam reipsa utrumque faciendi, a seipso potestatem habet, quam quidem per nullum alium, præter filium suum Iesum Christum, aliquando declaraturus est. Si igitur Smiglecius stramineam suam responsionem tueri cogitat, ostendat, Deum non solùm Apostolis hominum mentes intuendi, sed tantam etiam peccatorum remissionis potestatem fecisse, quantam habet ipse, ut nimirum & mortem sempiternam, peccati pœnam, auferre, & vitâ æternâ credentes donare possent. In his namque duabus rebus, ex Dei decreto, effectivam peccatorum condonationem consistere, easque solum Deum Christumque exequendi potestatem habere, nemini obscurum aut parum apertum esse potest. Itaque relinquitur, nihil aliud hac in re Apostolis concessum fuisse, præter remissionis retentionisque primam certam exploratamq; pronunciationem, eamq; non absolutam, verùm condicionalem. Sed videndum, quid præterea Smiglecius nobis objiciat: *Volkelius*, inquit, *eò dementiæ progressus est, ut asseruerit, ne Christum quidem ipsum, eam potestatem verè habuisse.* Respondeo; Imo verò Smiglecius eò impudentiæ progressus est, ut per summam calumniam ea Volkelium dicentem facere non dubitet, quæ nunquam dixit. Vbi enim & quando Volkelius ita locutus est? ostende paginam, ostende versiculum: Sed quando tibiipsi, mi Smigleci, me tacente, tantum onus imponere voluisti, citando ea, quæ in nostra catechesi dicuntur, portandum sanè illud erat, & ea, quæ tibiipsi objicis, convellenda, nec priusquàm hoc faceres, blasphemos nos Antichristianosque appellare cõveniebat: cùm hoc non sit disputatorem, sed, pace tua dixerim,

xerim, conviciatorem agere, a quo vitio quàm longè homo Christianus abesse debeat, tu quidem ignorare non potes. Ipse certè non obscurè fateris, te istam sententiam refellere non posse, locumque illum de paralytico sanato, contra te ipsum adducis. Verba enim Christi, *remittuntur tibi peccata*, non nisi peccata, in terris, remittendi potestatem declarare, ipse Christus ibidem disertissimè docet, cùm ait: *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* &c. Ex quo intelligitur, ea, quæ postmodum Smiglecius de scribarum mente subjungit, nullius momenti esse, cùm, quicquid illi de Christi verbis senserint dixerintvé, Christo credendum ipsiusque verba firmiter tenenda sint. Adde, quòd istud pharisæorum exemplum nihil ad rem facit: cùm illis ne in mentem quidem venerit, negare, Christum habere potestatem remittendi peccata in cælis: Christus enim non solùm verba ista ad paralyticum in terris sanandum dirigit, sed expressè etiam dicit, *se habere potestatem peccata remittendi in terris*. Quæ quidem ipsius responsio nequaquam ad rem propositam pertineret, si ita esset, ut de scribis asserit Smiglecius. Respondendum quippè fuit, se habere potestatem peccata remittendi in cælis. Ita nimirum homines isti Christum sapientissimum disputatorem, ex suo ingenio ineptissimisque suis responsionibus judicare non dubitant. Matth: 9. 2. Matt: 9. 6.

Nec quicquam Smiglecianę causæ præsidii affert, quòd dicit: *remissionem culpæ Dei esse propriam:* cùm aliud sit, rem quampiam Dei propriam esse, aliud, ejusdem potestatē quempiam habere in cælis. Quid, quòd potestatem istam homini datam esse, expressissimis verbis, tùm ab ipso Christo, tùm a turbis affirmatur. Qui homo, cum nondum ad cælos tunc conscendisset, a Deique dextris consedisset, interim tamen in terris peccata remitteret, parumné liquet, etiam hominem id Dei beneficio, quantumvis in terris, habere posse, quod Smiglecius Dei proprium esse dicit: ut facilè appareat, falsissimū esse, quod dicit Smiglecius: *nos metuere, ne, si Christo potestatē eam, quam Dei propriam esse vult, concesserimus, illicò Christum esse verum Deum concedere cogamur.* Nos enim minimè coacti, imò lubentissimè, etiam tunc Christum hominem verum Deum fuisse confitemur, Idque tùm ob hanc ipsam potestatem, tùm aliis multis de causis: quamvis, cùm hîc non æterno illi uniquę Deo, sed ab hoc eodem Deo, homini Christo Iesu potestatem istam datam esse apertissimè dicatur, nulla re ad amentiam istam impelli possimus, ut eam ipsam ob causam, hominem istum æternum illum Deū esse concedamus. Iam quòd Smiglecius potestatem remittendi Matt: 9. 8.

peccata, Dei propriam esse dicit, ex eoque colligere videtur, Christum eam habere non potuisse, nisi æternus Deus ille fuisset; Dicimus, cum longè sua opinione falli: cùm hîc disertè dicatur, hanc potestatem homini datam esse, exque eo necessariò consequatur, eam Dei naturalem proprietatem non esse, quippè quæ nulli alii, & sic nec homini, dari potest. Vt enim Dei natura cum nemine communicari potest, ita & de naturalibus illius attributis judicandum. Intelligendum quippè est, ea quæ Deo attribuuntur, non semper ex ea parte considerari, quatenus sunt essentiales ipsius proprietates, sed sæpe etiam, quatenus sunt Dei effecta, extra ipsius essentiam constituta, ex illis tamen naturalibus proprietatibus orta, qua de causa & iisdem cum illis nominibus appellantur. Ac prior quidem eorum consideratio, omnem cum aliis communicationem excludit. Posterior verò communicationem cum aliis in se continet: Veluti est Sapientia, quæ, quatenus in Deo naturaliter, ut essentialis illius proprietas, inest, nemini tribui potest, & hoc sensu solus Deus sapiens dicitur: quatenus verò non quidem essentialis Dei
Rom:16.27. proprietas, sed ejusdem effectus est, cum aliis quoque communicatur:
1.Tim:1.17. quo pacto & homines sapientes, Dei beneficio, reddi dicuntur. Eodem modo & de potestate Christo a Patre donata aliisque Dei attributis sent iendum est.

Sed jam tandem ad ea veniendum est, quæ de spiritu sancto inter nos disputantur. Dixeramus in priore nostra responsione, Christum, cum ante ascensum discipulos afflâsset hæcque ad illos verba fecisset: *Accipite spiritum Sanctum*, hac ipsa cerimonia adumbrâsse id, quod post ascensum reipsa daturus erat, & sic tunc nondum Apostolos reipsa spiritum sanctum accepisse: idque tùm ipsius rei, tùm scripturæ testimoniis comprobaveramus. Rem ipsam id indicâsse ideò diximus, quòd spiritus sanctus vires suas tunc non exeruerit, Apostoliqué nemini adhuc peccata vel remiserint, vel retinuerint, & insuper post Christi ascensum demum pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicandam ab illis fuisse, evidentissimè demonstravimus. Scripturæ testimoniis ita rem istam comprobavimus, ut primò Christi illa verba adduxerimus:
Ioan:16.7. *Si ad Patrem non abiero, Spiritus sanctus non veniet ad vos;*
Ioan:7.39. *sed si abiero, mittam eum ad vos.* Item illa Ioannis: *Nondum erat Spiritus sanctus (scilicet effusus) quia Christus nondum erat glorificatus.* Addideramus etiam, Lucam testari, in festo pentecostes demum spiritum
Act:2.1,2,3,4. sanctum effusum fuisse. Quid ad hæc Smiglecius? Distinguit inter visibilem & invisibilem spiritus sancti donationem. Et hac quidem Christabi-

ſtum ante ſuum in cælum aſcenſum, illâ verò poſt aſcenſum uſum fuiſſe aſſerit. Verùm, hanc diſtinctionem vaniſſimam eſſe, ex eo colligitur, quòd, ſi Chriſtus ante ſuum aſcenſum, ulla ratione ſpiritus S. donandi poteſtatem habuiſſet, aut reipſa eum donâſſet, nequaquam Ioannes ſimpliciter dicere potuiſſet, *non fuiſſe ſpiritum ſanctum, propterea, quòd Chriſtus nondum fuit glorificatus:* ut facilè appareat, nec ante Chriſti reſurrectionem, nec ſtatim poſt reſurrectionem, & ſic nec illo ipſo tempore, quo Chriſtus in ſufflando hæc ad Apoſtolos verba fecit, ſpiritum ſanctum datum ab ipſo fuiſſe, cùm eadem rei ipſius cauſa tam diu duraverit, dum Chriſtus glorificaretur; quod quidem tunc demum factum eſſe, cum in cælum evectus a dextris Dei collocaretur, nemo, credo, negabit. Quid, quòd nec Chriſtus ſimpliciter negare potuiſſet, ſpiritum S. ad Apoſtolos venturum, niſi ipſe ad Patrem abiret, ſi ante illud tempus ulla ratione ad eos venire, vel a Chriſto illis dari potuiſſet. Et quidem cum ipſa verborum comprehenſio doceat, ipſeque Smiglecius in ſuo nodo fateatur, poteſtatem peccata remittendi retinendique ſpiritus ſancti opus eſſe, omninò illud tunc executus per Apoſtolos fuiſſet, niſi volumus, Chriſtum ſapientiſſimum fruſtra tunc cum Apoſtolis dediſſe, aut certè Apoſtolos tunc inaſpectabili modo hominibus peccata tùm remiſiſſe, tùm retinuiſſe. Quod quidem abſurdiſſimum eſſe nulloque pacto fieri potuiſſe, omnes ſani intelligunt. Quorſum igitur attinet, propter verba Chriſti obſcuriora & rectæ rationis judicio & clariſſimis ſcripturæ teſtimoniis ita repugnare tantamque vim inferre, ut tùm eam divinis literis diſtinctionem affingamus, quam non agnoſcunt, ſed planè excludunt, tùm contra manifeſtam veritatem negemus, Chriſtum tum demum promiſſum ſpiritum ſanctum a Patre accepiſſe & effudiſſe, cum dextrâ Dei ſurſum ſublatus eſſet? quaſi verò, quæ Chriſtus in ſufflando ante ſuum aſcenſum hac de re dixerat, ea abſque tam abſurda diſtinctione explicari intelligique nullo modo poſſint. Verior certè multò Chriſti verborum ſenſus is eſt, quem in noſtro ſcripto poſueramus, nimirum, afflatus illius cerimoniam non niſi præludium fuiſſe ejus rei, quæ mox eventura erat, id eſt, Chriſtum cerimoniâ iſtâ id adumbrâſſe, quod poſt aſcenſum reipſa daturus erat. Nam præterquàm, quod nullum abſurdum parit, etiam cum re ipſa, &, quod maximum eſt, cum ſimilibus ſcripturæ locis planè convenit, ut ſuo loco docuimus. Quod igitur Smiglecius dicit, *ex eo patere, Chriſtum jam tum præſentem ſpiritum ſanctum dediſſe, quòd & cerimoniâ iſtâ uſus fuerit, & Apoſtolos reipſa ſpiritum ſanctum accipere juſſe-* Act: 2. 34.

rejusserit, partim minimè consequens, partim falsum est. Ac illud quidem ideo dicimus, quòd nulla ferè cerimonia reipsa, sed ejus adumbratio est; hoc verò: quia non dicit Dominus: Accipite reipsa, sed, accipite. Præsens autem tempus sæpissimè pro futuro usurpari, ita nimirum, ut rem certò moxque eventuram intelligamus, ipse Smiglecius fatetur, atque adeò, quantumvis invitus, in hac ipsa re, de qua agimus, id fieri, scripturę testimonio comprobat, cùm ait: *Verba præsentis temporis non repugnat, ad brevi futurum tempus referre, cum id circumstantiæ loci postulant: sicut cum Lucæ 24. dicit Christus: & ego mitto promissum patris in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Hæc Smiglecius. Quis autem non videat, eum jam nobis manus dedisse? Nam quod postmodum ait: *ea missio ob adjuncta futuri temporis verba, ad futurum tempus referenda est: hoc autem loco, tot modis Christus se in præsenti tempore sanctum spiritum dare affirmat, ut ex tota antiquitate fuerit nemo, qui hac de re dubitaverit,* nihil jam hoc illius causam juvat. Primò enim non solùm eadem est loci utriusque ratio, quod ad pręsentis cum futuro confusionem attinet, sed ea etiam, quæ paulò antè diximus, aliter hæc Christi verba explicari non posse, planè convincunt. Eandem porrò temporum permutationem hoc loco fieri, planè perspicuum est: cùm, postquam Dominus in præsenti tempore dixisset, *accipite spiritum S.*, mox futurum tempus futuramq; rem subjungat, dicens: *Si quorum remiseritis peccata, remittentur eis, si quorum retinueritis, retinebuntur.* Apostolos verò tunc nondum peccata remisisse aut retinuisse, per se clarum est. Tunc autem illos hoc fecisse, eo sensu, quo suprà docuimus, constat, cùm in nomine Iesu pœnitentiam remissionemque peccatorum prædicarent, evangeliumque Christi jussu, omnes gentes docendo, illos, qui crederent, salvatum, qui non, condemnatum iri denunciarent.

Ioan: 20, 23.

Illud etiam falsissimum est, quòd multis modis, Christus se in præsenti tempore spiritum sanctum dare, affirmet: cùm ne uno quidem modo istud fecerit, ut ostendimus. Quòd si fortè ideo sic putat Smiglecius, quod Christus aliquoties præsenti tempore eo in loco utatur, id quidem frivolum admodum est, cùm nec omnia verba, in præsenti tempore ibidem prolata, ad spiritus sancti donationem pertineant, sed hoc unum, *accipite*, idque mox ad futurum tempus restrictum: nec quicquam prohibeat, quo minus multa verba præsentia, de una eademque re usurpata, in futuram illius executionem respiciant: præsertim si & res ipsa, & loci circumstantiæ id efflagitent, ut hîc omnino fieri de-

ri demonstravimus. *At*, inquit, *ex tota antiquitate nemo fuit, qui hac de re dubitaverit.* Esto sanè: quid verò hoc ad nos convincendos valet, qui non nisi primam illam veramque Apostolorum antiquitatem amplectimur, quam veram Christi doctrinam tenuisse secutamque fuisse, in nullam vocatur controversiam. Posteriorem verò hanc ab illa defecisse, & multi ante nos viri præcellentes demonstrârunt, & nobis nullum est dubium, qui id pluribus in rebus, quàm alii, experti sumus.

Caput XV.

Examen quartæ demonstrationis, ex sacrificio novi testamenti ductum.

Ministri legitimi sunt sacerdotes offerentes Deo sacrificium.
Ministri Evangelici non offerunt Deo sacrificium novi testamenti.
Ergo, non sunt ministri legitimi novi testamenti.

Hunc Syllogismum in primo nostro scripto ita examinaveramus, ut, priusquàm ad ejus refutationem accederemus, non de eo sacrificiorum genere hîc agi ostenderemus, quod spirituale omniumq; Christianorum commune est, sed de publica quadam cerimonia, quâ Christus ipse offeratur. Hoc constituto, ipsum Syllogismum aggressi, diximus, majorem falsissimam esse: cùm nec ministros, novi testamenti, publici officii ratione propriè loquendo, sacerdotes nominari, nec illorum partes esse, Christum offerre, ullo divino testimonio probari Heb: 9. 14. 25. possit: Contra verò solum Christum se ipsum Deo pro nobis offerre, luculentissimè ab autore epistolæ ad Hebr: doceamur. Hîc Smiglecius nõ directè respondet, sed suo more verborũ circuitione lectori fucum façit, multa disputans de spirituali externoq; sacrificio, ut Deum utriusque cultu affectum olim fuisse, & ideò etiam sub novo fœdere idem faciendum esse ostendat. Cùm porrò in novo fœdere, nullum aliud externum publicumque sacrificium sit, quam corporis & sanguinis Christi, quod prius in cruce obtulerit: nunc verò in cœlis, secundùm ordinem Melchisedech, sacerdos existens, sub specie panis & vini quotidie conficiat Deoque offerat. Hæc a Smiglecio verbosè admodum scripta, ideò summatim perstrinximus, ut nec cartas frustra compleremus, nec concionatores agendo, disputatorum metas transiremus: ut nihil dicam, lectorem hoc pacto disputationis nostræ processum faciliùs cognoscere posse. Puto autem quemlibet non socordem hominem facilè videre, nihil hîc, a Doctore isto dici, quod ad rem faciat: quando

qui-

quidem hoc loco non quæritur, an, ut olim duplici cultu Deus affectus fuit, ita & in novo fædere fieri debeat: nec, an Christus antea in cruce se obtulerit, nuncque in cælis existens, corpus sanguinemque suum, sub specie panis & vini, Deo sacrificet. Quamvis hæc magnis erroribus implicata esse, & jam demonstraverimus, & fortasse adhuc suo loco demonstraturi simus: sed quæritur, an hodierni ministri Christi corpus sanguinemque offerre debeant, alioqui ministri legitimi non futuri? Supervacanea igitur fuit tota illa verborum pompa, & non nisi illa, quæ longo intervallo post subjungit, aliqua ex parte ad propositum pertinent: *Ait* inquit *Volkelius, non posse ullo scripturæ testimonio comprobari, Christum a sacerdotibus in terra offerri debere, cùm ex Epistola ad Heb: satis constare dicat, Christum non in terra, sed in cælis, non ab aliis, sed a se ipso offerri. At nos manifestis scripturæ testimoniis in nodo demonstravimus, Christum in terra, imò ubique terrarum, per manus sacerdotum Deo offerendum esse. Ita enim futurum Deus ipse apud Malachiam pollicetur cap: 1. 10. ubi respuens sacrificia Iudæorum, ut immunda, prædicit oblationem, mundam ubique terrarum sibi offerendam in gentibus. Non est,* inquit, *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Respondemus, Volkelium non solùm negare, ullo divino testimonio probari posse, Christum in terra per manus sacerdotum offerendum esse, sed etiam ministros hodiernos, eo, quo vult Smiglecius, modo, sacerdotes in scripturis appellari. Illud verò, quod hîc asserit, Malachiæ testimonio comprobari non posse, iam in nodi dissolutione ostenderamus. Docueramus enim, Malachiam non dicere, eam, de qua loquitur, oblationem, per manus sacerdotum offerendam esse, sed simpliciter dicere, *Deo in omni loco sacrificari, & offerri nomini ejus oblationem mundam.* Quam meam responsionem cum ne attigerit quidem, nedum refutaverit Smiglecius, salva veraque manet, ipseque suam causam perdidit. Nihilominus tamen Smiglecius, quasi re obtenta triumphat & ait: *En oblationem novi testamenti, quam a solis ortu usque ad occasum omni loco in gentibus sacrificari & offerri Deo necesse est: cum igitur non sit alia oblatio novi testamenti, quam corporis & sanguinis Domini, consequens est, hanc in omni loco & ubique terrarum sacrificari & offerri debere Deo.* Atqui, Smigleci, hoc est principium petere, cum hîc præsupponatur, corpus & sanguinem Christi sacrificari

cari posse, quod nos in priore responsione nostrâ pernegavimus: propterea, quòd prius probandum erat, Christum nunc in cælis existentem, carnem & sanguinem habere. Aliter enim esse, ex illis Pauli verbis colligitur: *Caro & sanguis regnum cælorum non hæreditabunt.* 1. Cor: 15. 50. Ex quo apparet, tantum abesse, ut caro sanguisq; Christi, novi testamenti oblatio sit, ut ne offerri quidem, imò nec existere possit. Quod enim Smiglecius dicit, *Paulum eo in loco nomine carnis & sanguinis, non naturam carnis, sed homines carnales, id est, carni deditos, intelligere*, longè fallitur: quippe cum ibi Apostolus, per totum caput, de mortuorum resurrectione disputet, & in loco citato, Christum eosque qui Christi sunt, cum Adamo hujusque posteris comparans, nullam planè actionum carnalium, sed tantùm naturæ tùm cælestis, tùm terrestris, & sic immortalis mortalisque rationem habeat: & porro in quo 1. Cor: 15. 35. corpore mortui resurrecturi sint, nimirum an in terreno animalique, an verò cælesti ac spirituali, docere instituerit. De hac enim & non alia re Apostolum eodem in loco quæstionem habere, eamque usque ad finem capitis persequi, cuilibet, a v: 35. legere incipienti omniaq; quæ postmodum dicuntur, consideranti, facilè patebit. Nec rectè Smiglecius putat, ex ea parte aliquos, *terreni hominis imaginem gerere*, a Paulo dici, quatenus carnalibus voluptatibus indulgent, sed quatenus non minus de terra terreni sunt, quàm primus homo, ut idem Paulus seipsum explicans, luculentissimè docet. Quod idem altera ex parte & de iis sentiendum est, qui sunt Christi, nimirum eos ideò cælestis hominis imaginem ferrè dici, quòd itidem ut secundus Adam, qui est Christus, de cælo cælestes futuri sunt.

Ridiculum verò se præbet Smiglecius, dum suam suorumque omnium sententiam prorsus explodens sic loquitur: *Etsi Christus in cælo carnem mortalem non habeat, habet tamen immortalem & gloriosam.* Rectè sanè, at quomodo illud constabit, quòd eandem carnem, quæ pro nobis tradita, passa, mortuaque est, vos re ipsa in cæna comedere dicitis, si Christus jam talem carnem non habet? Magis verò ridicula, imò mentis non omnino sanæ argumentum sunt illa, quæ paulò post dicit: *Christus in cælo habet carnem immortalem & gloriosam: alioqui quomodo nunc carnem Christi manducare & sanguinem Christi bibere posſemus?* Respondemus autem, potiùs ex eo, quòd Christus nunc habet carnem immortalem & gloriosam, consequi, nos, propriè loquendo, eam comedere nullo pacto posse. Quid, quòd & hoc ipsum non rectè dicitur, Christum, nempè nunc, habere carnem: cum veriùs dicatur,

cum corpus glorioſum habere, quod ſanguinis carnisque rationem prorſus excludit, ut jam Apoſtoli teſtimonio comprobavimus. Quæ porro hæc eſt conſecutio? *Scriptura dicit, nos carnem Chriſti comedere, & ſanguinem ejus bibere. Ergo Chriſtus nunc in cælo exiſtens, habet carnem & ſanguinem.* Si enim antecedens propriè intelligit Smiglecius, principium petit, cùm hac de re maximè inter nos diſputetur, atque adeò nihil iſtâ ſententiâ abſurdius eſſe, ſatis ſuperque tùm ab aliis tùm a noſtris hominibus demonſtratum ſit. Si autem figuratè hoc a Chriſto dici concedit, quid hoc, quæſo, virium habet, ad evincendum, Chriſtum in cælis exiſtentem, habere carnem & ſanguinem? cùm Chriſti carne figuratè comedendo ſanguineque bibendo, non ad aliquam carnem ſanguinemque Chriſti, quæ in cælis exiſtat, reſpectus habeatur, ſed ad eam ejusdem carnem, quæ olim pro nobis crucifixa, & eum ſanguinem, qui pro nobis fuſus eſt, cum hoc ipſum nihil aliud ſit, quam ex Chriſti morte certam ſpem vitæ æternæ concipere, ut alibi demonſtravimus.

Quod verò *ſanguis Chriſti, in cælo, nos emundet a peccatis*, ut Smiglecius dicit, id partim falſum eſt, partim nunc Chriſtum in cælo ſanguinem habere, minimè convincit. Falſum, quia nusquam ſcriptum extat, Chriſti ſanguinem in cælo, nos a peccatis mundare, ſed ſimpliciter, nos ab omni iniquitate emundare, Chriſtum autem in cælo ſanguinem habere, minimè conſequens eſſe, ex eo intelligitur, quòd ſcriptura ita loquens, de illo ſanguine verba facit, qui in cruce pro nobis effuſus eſt, quem quidem nunc in cælo eſſe, nemo ſanus dixerit: Ex ea autem parte nos a peccatis mundat, quatenus in cauſa eſt, ut nos a peccatorum tùm actu tùm reatu liberemur. quo ſenſu etiam, eodem ſanguine a peccatis nos eſſe redemptos, ſcriptum legimus. Quo pacto porro hoc per Chriſti ſanguinis effuſionem effectum ſit, alibi a noſtris hominibus docetur, maximè autem in libro Fauſti Socini de Servatore, ad quem Smiglecium aliosque rejicimus.

Iam quòd Smiglecius autorem ad Hebræos ſic loquentem faciat, *qui in ſancta ſanctorum, non ſine ſanguine, quem eò inferret & offerret, intrabat*, minimè miror. Video enim illum hominem naturâ ad fingendum comminiſcendumq; factum eſſe, cùm in toto ipſius libro vix unam paginam invenias, in qua non vel nobis vel ipſi ſcripturæ aliquid affingat, noſtra divinorumque autorum verba depravando, id eſt, jam illis addendo, jam detrahendo, jam in alium ſenſum detorquendo. Sed ad rem. Nusquam autor ad Hebræos dicit; *Chriſtum ſanguinem ſuum in cæ-*

in cælum intuliſſe, ut eum ibi offerret. Aſſerit autem: *legalem illum Pontificem ſemel quotannis in ſecundum tabernaculum (nimirum terreſtre) ingreſſum fuiſſe, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſeipſo & populi erratis.* Si dicat Smiglecius, legalem pontificem, ea in re, Chriſtum adumbrâſſe, & porro neceſſe eſſe, ut & Chriſtus ſanguinem ſuum in cæleſte tabernaculum intulerit. Reſpondemus, eundem autorem, qui ſuorum verborum optimus interpres eſt, in ipſo offerendi actu, ſeu rei offerendæ in tabernaculum illatione, nunquam Chriſti ſanguinem, illi ſanguini, quem pontifex legalis in ſancta inferebat, opponere, ſed perpetuò ipſum Chriſtum, ſeu Chriſti corpus: ut vel ex hoc eodem capite patet v:14,24,25,28. & cap: 10. 6,10. Nec eſt, quod ex hoc ipſo putet Smiglecius, Chriſtum non ſine ſanguine in cælum ingreſſum fuiſſe, quod corpus ipſius ſanguinis expers eſſe nequit: cùm, ut ipſe Smiglecius fatetur, Chriſti corpus, quod pro nobis in cælis offert, ſit glorificatum, & ſic, ut Paulus docet, *non animale, ſed ſpirituale; non terrenum, ſed cæleſte,* quod corpori ſanguiniq́ue expreſsè ab eodem Paulo opponitur, idq́; hac ipſa in re, de qua hîc agitur, nimirũ, non ingreſſum in regnum Dei, ſeu ejusdem hæreditariam poſſeſſionem. Quid, quòd hîc noſter autor non obſcurè docet, corpus, quod Chriſtus nunc in cælo offert, illi a Deo adaptatum eſſe, ut faceret voluntatem Dei; quam idem autor paulò poſt Chriſti corporis oblationem nominat. De ingreſſu autem in futurum mundum hîc ſermonem eſſe, ex eo patet, quòd idem autor tunc id factum eſſe, ibidem diſertè dicit, cum abrogatis ſacrificiis legalibus, Chriſtus ſacerdos fieret. Quod quidem ante Chriſti aſcenſum exaltationemq́ue factum minimè fuiſſe, omnes intelligunt. Adde, quòd idem autor ſeſe in hac epiſtolâ potiſſimùm de futuro mundo loqui, luculentiſſimè aſſerit. Quod cum ita ſit, neceſſe eſt, Chriſto tunc ejusmodi corpus adaptatum fuiſſe, quod futuro mundo ſeu cæleſti tabernaculo accommodatum, id eſt, firmum, immortale glorioſumq́ue ſit, & porro cum carne ſanguineq́ue, quippè quæ, ut ſcriptura teſtatur, infirmitatis vilitatisq́ue argumenta ſint, nihil conjunctum habeat.

Heb:9.7.

1. Cor:15.

Heb:10.5.

Heb:2.5.

Hîc fortaſſis inſtabit Smiglecius, utq́; Chriſtum ſanguinem ſuum in cælum intuliſſe ibiq́; offerre oſtendat, ſanguinis utrobiq; rationem haberi dicet, cum, poſtquam divinus hic autor legalem pontificem non ſine ſanguine in illud tabernaculum ingreſſum fuiſſe eumq́ue obtuliſſe dixiſſet, paucis interjectis ſic loquatur: *Neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemptionem nactus.* Atqui, quis non videt, aliud eſſe,

Heb:9.12.

proprium sanguinem in tabernaculum inferre atque offerre, aliud verò, per proprium sanguinem tabernaculum ingredi: cum hoc significet; Christum sanguinis sui fusione, vel, ut iste auctor sua ipsius verba paulò post explicat, morte interveniente, in cælum gloriamque suam intrâsse, & ideò nullam, hac in parte, cum illatione oblationeque sanguinis, a Legali pontifice factitata, similitudinem habeat. Non inficiamur quidem, utrobique aliquem ad sanguinem respectum haberi, quatenus nimirum, ut sanguis hircorum ac vitulorum purgat maculas carnis: ita, & quidem multò magis, sanguis Christi emundet conscientias nostras a mortuis operibus. Atqui hinc non sequitur, Christi sanguinem ab ipso in cælum illatum sacrificatumque esse: cum ad purgationis comparationem constituendam satis sit, Christum per sanguinis sui effusionem, seu, quod planè idem est, per mortem violentam id assecutum fuisse, ut in cæleste tabernaculum intraret, seque ipsum Deo offerendo, conscientias nostras a mortiferis operibus mundare posset. Ex quo intelligitur, mundationem Christi sanguini, quantumvis in cælum non illato, ideò tribui, quod absq; ejus fusione, Christus sese in tabernaculum illud cæleste inferre, proque nobis Deo offerre, & sic peccata nostra delere minimè potuisset. Qua de re cum alibi uberrimè a nobis disputetur, nolo hîc morari.

Vrget tamen Smiglecius, inquiens: *Quid, quòd Christus carnem suam gloriosam carnem appellat? ita enim suos discipulos post resurrectionem alloquitur: spiritus carnem ossaque non habet, sicut me videtis habere.* At quis Smiglecium docuit, Christum carnem suam gloriosam carnem appellare, cum id nec usquam scriptum extet, nec, quod gloriosum cæleste ac spirituale est, carnis nomine deformari par sit. Item: quis eum docuit, Christum statim post resurrectionem, antequam cælos conscenderet, habuisse corpus gloriosum? cum gloriosa corpora nec sensibus humanis, propter summum splendorem, percipi oculisq; aspici, nec cibum potumque capere, nec vulnera nec clavorum vestigia habere possint, ut quidem Christum tunc habuisse manifestum est. Quanquam enim jam tum moriturus non esset, tamen nondum naturam immortalem adeptus erat, ut ex paulò antè dictis apparet. Quemadmodum & Enochum Eliamq;, quantumvis morituri non fuerint, immortali tamen naturâ non nisi tunc donatos fuisse, cum in cælum transferrentur, vero simillimum est. Quid, quòd res ipsa postulabat, ut Christus in eodem corpore Apostolis appareret, quod plagis contusum, vulneribus excruciatum ac deformatum teterrimaq; morte affe-

te affectum erat, ut eum resurrexisse exploratissimum haberent? Ex his omnibus liquidissimò patet, & Smiglecii aures in vera Theologia valdè peregrinari, & Christum, in cælo existētem, carnem sanguinemque minimè habere, & porro sacrificium carnis sanguinisque Christi, quod a miseris istis hominibus in terris offeratur, esse vanissimum commentum, cum ne in cælis quidem offerri possit. Constat igitur, ut tandem eò, unde digressa erat, oratio revertatur, Smiglecium illud, quod voluit, Malachiæ verbis demonstrare non potuisse, & porro de longè alia oblatione munda vatem illum loqui, quàm de confecto impossibilique sacrificio corporis & sanguinis Christi.

Atqui, inquit Smiglecius, *oblatio munda illa intelligenda est, quæ in locum sacrificiorum legalium successit. Reiicit enim ibi Deus sacrificia legis veteris, ut novæ legis sacrificium statuat, legalibus autem sacrificiis, secundùm scripturas, non aliud successit sacrificium, nisi sacrificium Christi. Id ita esse, docet manifestè Paulus Hebr:* 10. 5. Respondemus, & primò negamus istius argumenti assumptionem, cum apertissimum sit, præter Christi sacrificium, etiam spirituales Christianorum oblationes in legalium sacrificiorum locum successisse. Ac illud quidem in locum sacrificiorum anniversariorum, quæ sola, unà cùm suo pontifice, Christum ejusque oblationem adumbrabant, substitutum fuisse, non solùm concedimus, sed etiam urgemus: has verò in locum illorum, quæ a minoribus sacerdotibus, omnes generatim Christianos adumbrantibus, quotidie libabantur, ut in superiore libello nostro demonstravimus. Quæ igitur impudentia est, dicere, *secundùm scripturam non aliud sacrificium legalibus sacrificiis successisse, nisi sacrificium Christi*, idque autoris istius testimonio, quod capite 10. extet, comprobare velle: cum nec Christi sacrificium, quod legalibus sacrificiis successerit, definitè ibidem commemoretur, addendo nimirum solùm vel tantùm vel simile quippiam, & ideò alia, quæ a Christianis fiant, sacrificia minimè excludat: nec non nisi anniversariis opponatur, ut ex v: 1. & 3. apparet. Cum porro Christi sacrificium, non in tabernaculis manu factis, sed in cælo tantùm, & ita nequaquam in terra, ut idem autor testatur, nedum in *omni loco* offerendum sit, quomodo quæso de eo Malachias loqui potuit? Hîc verò se multùm torquet Smiglecius, ut Christum in terra sacrificari ostendat. Nam & Christum in cruce se obtulisse, & nos autoris verba illa non intelligere ait: *si esset in terra, ne sacerdos quidem esset.* Heb: 8. 4. Respondemus autem primò, frustra hæc, aut certè non suo loco, a Smiglecio afferri, cum, si maximè ita, ut dicit, esse, demus: aliud tamē

semper futurum sit, *Christum seipsum in terris offerre*, aliud: *eundem a sacrificulis istis sacrificari.* Hoc igitur, & non aliud, Smiglecio probandum fuit, si demonstrationis suæ majorem propositionem confirmare voluit. Interim tamen & id ipsum falsissimum esse, nullo negotio docebimus, omnia, quæ hoc loco Smiglecius adducit testimonia, suis ponderibus examinando.

Primùm dicit, Heb:7.27. hunc in modum extare: *Christus semel seipsum hostiã obtulit, & insuper, hoc non nisi de hostia & oblatione in cruce facta, intelligi posse* asserit. *Nam*, inquit, *illã quæ in cælis est, non semel, sed quotidiè fieri & repeti, ipsimet adversarii docent.* Hîc certè, quod pace Smiglecii dixerim, nihil veri, nihil synceri video: quippe cum nec autor ipse his verbis utatur: nec quod asserit, in cruce factum sit: nec denique nos doceamus, cælestem Christi oblationem quotidiè fieri & repeti. Quinimò hoc ipso, unà cum divinissimo isto autore, eam a legalibus sacrificiis distinguimus, quòd, cum illæ imperfectæ essent, ideoque sæpius repetitæ fuerint, hæc Christi oblatio, quippe perfectissima, non iteretur, sed semel offeratur. Magnæ igitur temeritatis argumentum est, quòd Smiglecius non solùm scripturæ verba perperam citat; Sed adversariorum etiam sententiam, quam perspectam minimè habet, impugnare non dubitat. Dicit autem autor ille in loco adducto: Heb:7.27. *Christum non habere necesse, quotidie, quemadmodum illi pontifices, priùs pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim semel illum fecisse.* Quod quidem in cruce peractum minimè fuit, cum idem autor paulò ante sese de eo sacerdote loqui dicat, ℣ 26. *qui sublimior cælis factus sit*, Heb:9.14. id est, ut alibi seipsum explicat, *qui in cæleste tabernaculum ingressus sit.* Et quidem legalem illum sacerdotem, non extra tabernaculum, sed in tabernaculo, primò pro se, postea pro populi ignorantiis obtulisse, idem scriptor cap: 9.7. asserit: ut facilè appareat, si comparatio inter illum Christumque constare debeat, Christum idem in suo tabernaculo, nimirum cælesti, facere, nisi quòd legalis sacerdos quotidie, id est, sæpè, nimirum quotannis, ut alibi autor ille dicit, ad id faciendum in tabernaculum ingrediebatur: Christus autem semel tantùm in sancta intravit, ad se ipsum offerrendum, ita nimirum, ut ipsius semel suscepta oblatio duret continuoque & absque ulla interruptione peragatur. Quod firmiter tenendum est, ne veracissimus Dei spiritus contradictionis insimuletur, quippè qui & Christum sacerdotem Heb:6.20. & 7.21. & 17.28. in æternum esse, & porro suum sacrificium nondum absolvisse, Sed etiamnum peccata expiare, pro nobis apparere, vel astare coram Deo, nostrum

nostrum advocatum esse, proque nobis interpellare apud Patrem, idque tantisper facturum, donec ex cæleſti tabernaculo egreſſus, ſeſe expectantibus, ſine peccato, ad ſalutem appareat, luculentiſſimè teſtificetur. Ex quo conſequitur, cum nihilominus & in hoc loco, quem Smiglecius citavit, & in aliis multis, ſcriptum legatur, *Chriſtum ſemel obtuliſſe, ſeipſum ſacrificâſſe, peccatorum noſtrorum purgationem feciſſe*, id non eo ſenſu dici, quaſi ea jam minimè peragat; ſed quod modus, quo iſta fieri debebant, jam tum perfectus erat, cum Chriſtus in cæleſte tabernaculum intraret, id eſt, tunc iſta faciendi pleniſſimam poteſtatem acceperat. Heb: 2. 17. & 9. 24, 26, 28. 1. Ioan: 2. 1.

Alter locus a Smiglecio adductus, eſt apud Paulum Eph: 5. 2. ubi Apoſtolus aſſerit: *Chriſtum ſeipſum pro nobis tradidiſſe, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Hîc fatemur quidem, oblationem, de qua Paulus loquitur, in cruce factam fuiſſe: Interim tamen hoc Smiglecium juvare pernegamus: cum in hac noſtra diſputatione de eo ſacrificiorum genere perpetuò agatur, quod ad hominum peccata expianda adhibetur, ideoque expiatorium nominatur. Paulus verò hoc in loco, de oblatione præclari facinoris ſermonem habet, quæ eam ipſam ob cauſam oblatio *ſuavis fragrantiæ* dicitur. Egregium namque factum Deoque gratiſſimum fuit, quòd Chriſtus, ut ſuum erga nos amorem teſtatum relinqueret, mortem truculentiſſimam oppetere nō dubitavit. Quid, quòd verbum *tradidit*, a Paulo hîc uſurpatum, non ad oblationis vocabulum referendum, Sed vocabulum *oblatio*, ſecorſim per appoſitionis figuram poſitum eſt: ut nimirum, quam acceptum gratumque hoc præclarum Chriſti factum Deo fuerit, intelligatur. Simili modo idem Apoſtolus & de beneficentia eleemoſynaque loquitur, Phil: 4. 18. *Habeo omnia*, inquit, *& repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, in odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam Deo.*

Tertius locus extat Heb: 9. 25. *Chriſtus in ipſum cælum intravit, non ut ſæpe offerat ſe ipſum, ſicut Pontifex in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno, alioqui oportuißet illum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad abolendum peccatum, per oblationem ſuiipſius apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt, hominibus ſemel mori, poſt hoc judicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Hoc autoris divini teſtimonio ad ſuum errorem ſtabiliendum Smiglecius ſic abutitur. *Quibus Pauli verbis*, inquit, *ea ratio continetur: ſi Chriſtus ſæpius ſe offerret, neceße eſſet, ipſum ſæpius mori. Cum verò ſemel duntaxat Chriſtus mori debuerit, conſequens*

sequens est, illum semel tantùm per mortem se obtulisse. Hîc antequam aliquid aliud dicamus, intelligendum est, Smiglecium, si modò secum ipse consentiat, in argumenti sui conclusione affirmare, Christum semel tantùm per mortem se obtulisse, id est, semel moriendo, oblationem suiipsius perfeciſſe, eandemque assertionem suam autori isti divino assignare: quanquam idem autor in verbis adductis, Christum legali pontifici non ex ea parte opponit, quatenus is sæpius victimam mactando, oblationem suam peregerit, sed quatenus Christus non sæpè in cæleste tabernaculum intrat, ad semetipsum offerendum, ut ille cum alieno sanguine quotannis ingrediebatur. Quod autem addit, *alioqui Christo frequenter patiendum fuisse*, eo consilio facit, ut quàm absurdum sit, Christum sæpius sese in cælesti tabernaculo offerre, omnibus pateret. Qua de re paulò post plura dicenda erunt. Deinde animadvertendum est, Smiglecium non solùm ipsum in argumentando turpissimè labi, sed lapsum etiam suum sapientissimo huic scriptori affingere, idque dupliciter. Primò enim in conclusione ea conjungit atque adeo confundit, quæ in præmissis seorsim posita erant, nimirum mortem & oblationem Christi, & porro contra omnem logicam ex divisis ad conjuncta argumentatur: cùm insuper naturalis Syllogismi hypothetici dispositio, istam argumentationem hoc pacto instituendam fuisse suadeat: *Si Christus sæpius se offerret, necesse esset, eum sæpius mori. At Christus non sæpius moritur. Ergo non sæpius seipsum offert*: ut facilè appareat, verba, *per mortem*, in cõclusione perperam addita esse, mediumque terminum, nimirum, Christi mortem, cujus jam in utraque præmissa facta fuerat mentio, præter omnem dialecticæ rationem, conclusionem ingredi. Quod si Smiglecius, ut quidem in tota hac disputatione perpetuò istâ suâ cantilenâ percrepat, Christi oblationem ejusdem morte perfectam esse vult, ideoque in argumenti sui conclusione, eum per mortem sese obtulisse dicit; animadvertendum est, eum præter jam memoratum errorem, crassissimam principii petitionem committere. Sic enim eum statuere necesse est: Christi oblationem ab ejusdem morte nihil re ipsa differre, & porro cum ait: *Christum per mortem sese obtulisse, perinde habendum esse, acsi dixisset: Christum in cruce moriendo oblationem suam perfeciſſe.* Apparet igitur, istam Smiglecii argumentationem, ex ipsius etiam mente, huic perquam similem esse: si quis sæpe gerit ensem, sæpe gerat gladium necesse est. Atqui is homo non sæpe gerit gladium. Ergo non sæpe gerit ensem. Si igitur divinum autorem tam inepta concludendi ratione liberare volumus, intelligendum

dum est, illius mentem, ut & res ipsa & loci circumstantiæ convincunt, nullam aliam esse, quàm, Christum non ita in tabernaculum ingressum fuisse, ut legalis pontifex, quippe qui id & sæpe fecerit, idque nunquam sine sanguine, & porro quoties illi tabernaculum ingrediendum fuit, toties eum pecudem mactare oportuit. Contra verò a Christo factum. Is enim, quia non sæpè, sed semel in tabernaculum introivit, & porro etiam semel ibidem seipsum offert, seu, quod planè idem est, pro nobis faciei Dei apparet, vel ut paulò post idem autor loquitur, *semel in consummatione seculorum, per oblationem suimetipsius comparet:* Heb:9.25, 26. Ideò nec sæpe eum ante suum in cælum ingressum mactari oportuit, sed satis fuit, semel pati ac mori.

Ineptissimè igitur postmodum dicit Smiglecius: *Quod si mors ad essentiam sacrificii non pertineret: non esset necesse illũ toties mori, quoties se offerret. Semel enim morte obita, posset jam sacrificium non solùm semel offerre, sed etiam, quoties vellet, repetere.* Hæc ille. Atqui hîc primò animadvertendum est, Smiglecium autoris istius mentem non satis percepisse, quæ non est, simpliciter quidvis ex Christi morte, quâ semel affectus fuit, ut Smiglecius hîc facit, colligere: sed respectivè, quod dicitur, docere, Christum, hac in parte, magnam cum legali pontifice dissimilitudinem habere, quod nimirum ille, ut sæpius offerebat in illo terrestri sacrario, ita sæpe priùs pecudes eum mactare oportuit. Si enim Christus illi ea re similis esset, sæpè etiam mactari illum oporteret. Quod quàm absurdum sit, quis non videt? Deinde quod dicit; *Si Christi mors ad ejusdem oblationis essentiam non pertineat, non necesse esse, ut, quoties sese offerret, toties moreretur,* nullius momenti id est. Vt enim unam Christi mortem, una tantùm, sine iteratione, sequatur oblatio, nequaquam necesse est, eandem mortem partem essentialem oblationis esse: cum, præterquàm quod illud fieri non potest, satis sit, eam oblationis necessarium antecedens esse, Deo nimirum ita volente ac decernente. Fieri autem non posse, ut Christi mors ejusdem oblationis essentialis pars sit, ex eo intelligitur, quòd pars essentialis a toto suo, citra illius destructionem abesse nequaquam potest. Mortem autem Christi jam ante præteriisse, ipsiusque oblationem eamque perfectam adhuc durare, & ad finem usque mundi duraturam esse, nemo sanus negare potest. Itaque constat, autorem illum inter Christi mortem ejusque oblationem ita distinguere, ut illam hujus non essentialem partem, sed, ut diximus, necessarium antecedens, id est, præparationem ad eam ritè peragendam esse doceat.

Iam verò, quòd Smiglecius nos illa autoris verba: *Si esset in terris, ne sacerdos quidem esset*, crassè intelligere ait, minimè mirum est, cum ad tanti viri subtilitatem aspirare nondum potuerimus. Dicit autem: *non eo sensu hoc dicere autorem istum, quasi Christus, si in terris sacrificaret, non esset sacerdos: cùm etiam illi, qui sub vetere lege in terra sacrificarunt, sacerdotes fuerint: sed nomine sacerdotis intelligi eum, qui terrenus tantummodò est, & nullo modo cælestis, quales erant Levitici sacerdotes, qui idcircò erant terreni sacerdotes, quia terrenas res, non cælestes, sed umbras & figuras cælestium offerebant, & in terra tantùm, non etiam in cælo, munere sacerdotali fungebantur*, hæc Smiglecius. Nos verò hanc ipsius explicationem falsissimam esse dicimus, cum illius ne tenuissimum quidem vestigium in toto contextu appareat, contra verò tùm antecedentia, tùm consequentia verba planissimè docere videantur, Christum hîc ab illis, qui in terris sacerdotii munere fungebantur, non ex ea parte distingui, quatenus ipse non solùm in terra, sed etiam in cælis pontificem agat: cum hoc in loco de tabernaculis potissimùm verba
Heb:8.2. fiant, terrestreque tabernaculum cælesti opponatur, & verba ista, *si esset in terris*, tùm ad antecedentia respectum habeant, nimirum hæc: *Minister sanctuarii ac veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus & non homo:* tùm ad mox consequentia, quibus apertissima utriusque tabernaculi mentio fit. Quid, quòd idem autor sequente capite, eandem rem
Heb:9.11.24. explicans, asserit; *Christum in majus perfectiusq; tabernaculum, non manibus factum, intrâsse*, &c. Et paulò post, *Christus*, inquit, *non ingressus est in sancta manu facta, quæ essent figura verorum: sed in ipsum cælum, ut nunc appareat in conspectu Dei pro nobis.* Verissimè igitur dicit divinus autor: *Si Christus in terris esset, non esset sacerdos.* (nimirum is, quo nobis opus est, vel qualem eum Deus esse voluit)
Heb:7.26.28.1. *Talis enim, decebat, ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus.* Item: *eum habemus pontificē, qui consedit ad dextram throni maiestatis illius cælestis.* Satis jam, ut opinor, ostensum est, Malachiam de Christi Sacrificio minimè loqui, cum illud non in terra, & sic nec in toto terrarum orbe, sed tantùm in cælo fieri constet. Pergendum igitur est ad alia Smiglecii argumenta, quibus, Christum carnem sanguinemque in terris sacrificare, nititur probare. Dicit autem: ex *eo id constare, quòd Christus sit sacerdos secundùm ordinē Melchizedechi, idque non solùm quòd in persona Melchizedechi repræsentatus sit, sed præcipuè, quòd ritum sacrificandi Melchizedechianum in suo sacrificio expresserit. Ordo enim & ritus sacerdotii*, inquit, *præcipuè ad sacrificium*

cium refertur, & magis in similitudine officii sacerdotalis, quàm in personæ similitudine positus est. Cum igitur ritus sacrificii Melchizedeciani is fuerit, ut panem & vinum offerret Deo, eodem quoque ritu Christus sacrificare debuit. Cuius sacrificii cum etiam homines fecerit participes ipsisque mandaverit, ut id facerent semper in eius commemorationem, quis dubitare poterit, ministros novi testamenti, eius etiam sacrificii ministros esse? Respondemus, Smiglecium hîc partim id dicere, quod ad rem propositam minimè pertinet, cum nos non affirmemus, autorem divinum in Melchisedechi ordine explicando, præcipuè ipsius Melchizedechi personam spectâsse: partim ex hoc ipso perperam concludere, de ritu sacrificandi hîc potissimum agi: cùm, ut in nodi dissolutione planum fecimus autor ille Christum longè aliam ob causam secundùm ordinem Melchizedechi sacerdotem esse doceat, nimirum propter similem sacerdotalis muneris originem terminumque, quorum utroque Melchizedechi ordinem contineri asserit, perindeque sit, ac si dicat: Quemadmodum Melchizedech sacerdotii sui ratione sine patre sine matre sineque genealogia fuit, nec finem vitæ habet: ita & Christus nec ulli in sacerdotis munere successit, nec ullum successorem habiturus; sed in perpetuum sacerdos futurus est. Respondet Smiglecius *Volkelium dupliciter lapsum esse: Primò, quòd ea solùm ratione Christum secundùm ordinem Melchizedechi esse asserit, quòd in ordine & termino sacerdotii cùm illo similitudinem habeat: cum ad ordinem sacerdotii Melchizedechiani non satis sit.* Respondemus, hæc non nobis a Smiglecio objici, sed divinissimo isti autori, qui ordinem Melchisedechi, secundùm quem Christus sacerdos est, describens, non nisi initium finemque utriusque commemorat. Fatetur hoc ipse Smiglecius, cum ait: *Quòd verò Paulus comparans Melchizedechum cum Christo, eorum tantùm meminit, non propterea facit, quòd iis omnis similitudo Melchizedechi cum Christo contineatur: sed quòd ea similitudo revera est inter Christum & Melchizedechum, & ea tantùm satis erat ad id, quod Paulus intendebat, demonstrandum.* Quis hîc non videt, Smiglecium nobis porrigere gladium, quo ipse juguletur? Nos enim minimè negamus, posse plures res inveniri, quibus Christus cum Melchizedecho comparetur, quamvis ad ordinem istum non pertineant. Verùm cum hîc unam præsertim ad autoris propositum pertinentem, ipsi commemorâsse satis fuerit, cur & nos non satis habeamus, frustraque; alia, præter ipsius mentem, ex nostro capite huic ordini assuamus? Existimandum quippe est, si plura ad ejusdem ordinis explicationem requirerentur, nequaquam hunc

tam fidelem mysteriorum divinorum interpretem, ea prætermissurum fuisse. At inquit Smiglecius: *Ipse Paulus cap. 5. 11. apertè proponit, se non omnia persecuturum, quæ ad similitudinem Melchizedechi & Christi pertinent, quòd & id explicatu difficile esset, & ab auditoribus minimè caperetur* Hîc suo more Smᵍ ea affingit isti autori, quæ, ut a vero sunt alieniſſima, ita ab eo dicta minimè fuerunt, nimirum: *eum apertè proponere, se non omnia persecuturum, quæ ad similitudinem Melchizedechi & Christi pertinent:* cum nec ad eum modum autor divinus loquatur, neque ipsius verba hanc sententiam contineant; quæ quidem sic sonant: *De quo grandis nobis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Deinde hîc animadvertendum est, nequaquam autorem istum confiteri, se aliquid hîc prætermittere. Non enim dicit, *grandis nobis sermo esset:* sed simpliciter, *grandis nobis sermo:* & res ipsa convincit, ut mox patebit, non verbum *esset*, sed verbum *est*, subaudiendum esse, ut sensus sit: *sunt mihi adhuc multa dicenda, eaque explicatu difficilima, de Christi sacerdotio.* Nec obstat, quod statim subjungit: *quoniam segnes facti estis.* Hoc enim non eo animo ab illo dicitur, quasi grandi isto sermone jam uti nolit; sed ut partim difficultatis istius causam ad eorum segnitiem referat, partim, ut eos ad animi tarditatem ejiciendam diligentiusque auscultandum excitet, ut nimirum non semper infantium more lacte ali postulent, sed ut solidioribus cibis uti assuescant, hoc est, ut omissis Christi sermonis rudimentis, ad perfectionem tendant. Hanc admonitionem suam per totum sextum caput producit, & tandem illorum animis egregiè præparatis, grandem illum sermonem ingreditur, deq; Christi sacrificio copiosè planissimeque explicat.

Iam quòd ideo neget Smiglecius, similitudinem originis ac termini ad ordinē Melchizedechi satis esse, quòd ea Christo cum aliis, præter Melchizedechum, communis sit; nihil planè ad rem facit: cum, si rectè argumentatur Smiglecius, autor iste divinus hanc eandem similitudinem prorsus reticere debuerit, & ea tantùm afferre, quæ Smiglecius ordinem Melchizedechianum maximè constituere affirmat, nimirum panis & vini oblationem. Tantum autem abest, ut in ea ordinem istum constituere doceat, ut ne minimam quidem ejusdem mentionem faciat. Reticere autem, si Smiglecius rectè dicit, autorem istum principii finisque similitudinem debuisse, ideo dico, quòd, ut ipse Smiglecius paulò post fatetur, Melchizedechianum & porro etiam Christi sacerdotium, Aaronico sacerdotio excellentius esse, hoc ipso ostendere

dere voluit. Hoc autem, etiam ex ipsius Smiglecii sententia, nequaquam effecit, eam ipsam ob causam, quòd nec Iobi Eliæque sacerdotum genealogia describatur, & sic simili ratione absque initio & fine, & porro æterni sacerdotes dici possint: & quod consequens est, non solùm Melchizedechus, sed Iobus etiam, & Elias aliique Leviticis sacerdotibus in eodem munere præferendi sint. Quæ cum sint absurdissima, quomodo, quæso, Smiglecii assertio, ex qua hæc cõsequuntur, absurda non erit? Verùm demus, non solùm Melchisedechum, sed & Eliam & Iobum ejusmodi sacerdotes fuisse, quorum genealogia non describatur, quis prohibere potuit autorem illum, quin Melchizedechum exempli loco adducere mallet, quàm Iobum & Eliam? cùm præ- Psal: 110. 4.
sertim & ipsum Psalmistam, ex quo hæc verba deprompsit, Christi hoc sacerdotium ejusque diuturnitatem prænunciantem, nullius alius, præter Melchizedechum, mentionem feciisse videret: ut facilè appareat, nullo loco habenda esse, quæ Smiglecius de similitudinibus dicit: *Similitudo*, inquit, *spectari debet, secundùm ea, quæ sunt propria & intrinseca rei, non quæ sunt illi cum aliis communia.* Hoc enim axioma suum, ipsum Smiglecium, ista proferendo, evertisse, nemo non videt. Quinimò ne pueros quidem in scholis illud admissuros credo, cum qualitates etiam non proprias aut intrinsecas simile dissimileque recipere, manifestum sit. Quid enim, an, verbi causa, duo homines, doctrina pietateque similes esse dici minimè possunt, propterea, quòd & alii præter eos, pii doctique sunt? Præterea, illud etiam, quod hujus rei caput est, considerandum Smiglecio erat, nunquam Iobum Eliamque in divinis literis tanto titulo decoratos fuisse, ut *Dei altissimi sacerdotes* appellarentur: quantumvis Deo eos sacrificasse minimè negemus. Intelligendum quippe est, hunc titulum non in quemlibet, quantumvis Deo libantem, sed in eum convenire, cui singularissima Dei voluntate hæ partes datæ sunt. Quales cum Melchisedechum Aaronemque cum suis posteris fuisse, & hodie Christum esse, autor ipse optimè noverit, quid mirum, eum, cum Christi sacrificium Aaronico præstare ostensurus esset, Christum cum Melchizedecho, in re sæpius memorata, conferre maluisse, quàm cum aliis, qui sacerdotis titulum minimè gerebant? ut facilè appareat, non usquequaque verum esse, quod Smiglecius hac de re dicit, eam nimirum Christo, præter Melchizedechum, cum multis aliis communem esse.

Illud quoque nequaquam prætereundum videtur, quòd autor hîc noster non solùm ordine isto, quem in sacerdotii origine terminoque

consistere dicimus, sed ipsa etiam sacerdotali dignitate Melchizedechum Aarone Levitisque superiorem esse docet: idque ita, ut magna etiam ex parte, Christi sacerdotii præstantia in Melchisedecho adumbretur. Quæ quidem dignitas in eo constituta est, quòd non solùm Abrahamo, & sic Levitis etiam in lumbis ejus existentibus, benedixerit, decimasque ab illis acceperit: sed etiam tùm sacerdos, tùm Rex, & sic in hoc maximè Christo Filio Dei similis fuerit. Quarum rerum occasionem cum autor ille in Elia Iobóque habere non potuerit, ideóque Melchizedechi exemplum multò ad id, quod urgebat, accommodatius fuerit, minimè certè mirum est, eum etiam, hanc ipsam ob causam, eo uti maluisse, quàm Eliæ ac Iobi.

Heb: 7.4.5.6.7.8. 9.10.

Heb: 7.1.

Hîc verò Smiglecius se idem dicere asserit, nimirum, præter originem terminumque etiam dignitatem sacerdotii ad ordinem Melchizedechianum requiri. Respondeo: si ita Smiglecius loquitur, nequaquã eum nobis satis facere: cum res ipsa doceat, inter ipsum sacerdotem ejusque dignitatem, & sacerdotii ordinem, multum interesse. Ordinaverat nimirum Deus Melchisedechum alia ratione ad sacerdotium quàm Levitas. Ac hos quidem ita, ut primò, quantum ad nostrum propositum pertinet, ex certa familia prodirent, ideóque, muneris sui ratione, nequaquam *sine Patre, sine matre sineque genealogia essent*: Deinde, ut eorum munus non in perpetuum, sed tantùm usque ad tempus correctionis duraret, & sic neque in sui sacerdotii initio, nec in ejusdem fine seu termino, Filii Dei typum gererent. Illum contra, ut muneris sui ratione, nec patrem, nec matrem, nec genealogiam, nec initium dierum, nec finem vitæ haberet: sed assimilatus Filio Dei, maneret in perpetuum. Secundùm igitur hunc ordinem Christum sacerdotem factum esse, hic divinus autor ita docet, ut primò illum non ex Tribu Levi, sed ex tribu Iuda ortũ habere dicat, *Cui tribui nihil de sacerdotio locutus est Moses*. Deinde, ut eum in æternũ permanere, perpetuũ sacerdotium habere, semperque vivere asserat, ut interpellet pro nobis. Ex his omnibus satis constare arbitror, me hîc, quicquid dicat adversarius, lapsum minimè esse. Sed enim & alterum lapsum mihi assignat, quantumvis prioris nondum convicto: *Volkelius* inquit, *typum Melchizedechi non rectè accommodat Christo, Paulus enim in eo dicit Melchizedechum assimilatum Filio Dei, quòd fuit sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens: ex quo deinde infert æternitatem sacerdotii utriusque, Melchisedechi quidem figuratè, Christi autem verè & reipsa.* Hîc intelligendum est, Smigleci-

Heb: 7.13.14.

Heb: 7.24.25.

glecium ipsum turpissimè labi, qui me aliter atque ipse hîc facit, typum Melchizedechi Christo accõmodare fingit, nisi quòd ego, unà cum divino autore, non solùm Christi sacerdotis æternitatem, sed ejusdem etiam initium, omnis sacerdotalis genealogiæ expers, considero. In quo quidem cum divino spiritu labi, quàm cum Smiglecio stare malo; sed latet anguis in herba: Ita enim a me typum Melchizedechianum Christo accommodari voluit, ut non divini nostri autoris mentem, sed Smiglecii somnium secutus, Christum secundùm naturam humanam patre caruisse; Secundùm autem divinam naturam, matrem non habuisse dicerem. Verùm non ego hîc labor, sed Smiglecius vehementer errat, qui suas nugas divino autori affingit: quasi consequens sit, quia Melchisedecho ista figuratè conveniunt, Christo verò reipsa, protinus duarum naturarum in Christo hîc rationem haberi: cum præter istud commentum, longè alia ratione illud, quod per quandam figuram in Melchisedecho adumbratam fuit, reipsa in Christo completum fuisse ostendi possit, nimirum, Melchizedechum ideo finem vitæ non habuisse dici, quod ad ipsius sacerdotium attinet, quia ejus rei in scriptura non fit mentio, ut ipse Smiglecius explicat: Christus autem reipsa in perpetuum sacerdos sit. Quorsum igitur attinet ita ineptire, & sapientissimo Dei spiritui ea per summam temeritatem tribuere, quæ & falsa vanaque sunt, & ad institutum ipsius nihil quicquam pertinent. Falsissimum autem illud commenticiumque esse, jam pridem a nobis demonstratum est: & porro autorem istum nostrum ejus nullam rationem habere, tùm idipsum indicat, tùm non de naturis, sed sacerdotio Christi hîc disputari, planissimè constat. Supervacanea igitur, ne dicam, inania prorsus sunt, quæ postmodum dicit Smiglecius: *Alia quæ ex typo Melchizedechi commemorat, licet Christo conveniant, tamen a Paulo ad officium ipsius sacerdotale non applicantur, nec applicari possunt: cum solum personæ ipsius dignitatem repræsentent. Quomodo enim initium dierum non habere, ad sacerdotium pertinet, cum manifestum sit, Christum sacerdotii sui initium habuisse, similiter, quòd sit sine patre, sine matre, sine genealogia, ea ad Christi sacerdotium non spectant, sed ad personæ ipsius essentiam: Christus enim naturæ humanæ respectu sacerdos est, sic autem & matrem & genealogiam & antecessores habuit: neque ex eo solo sequitur, Christum nulli in sacerdotio successisse. Quoad divinam autem generationẽ, nec matrem habet, nec genealogiam, nec antecessores ullos: verùm secundùm naturam divinam Christo sacerdotium non competit: quocirca ea Christi dignitas ad sacerdotium referri*

non

non debet. Hæc omnia, quæ Smiglecius hîc dicit, nihil aliud sunt, quàm mera principii petitio. Primò enim probandum erat, autorem istum quicquam dicere, quod non ad Christi sacerdotium, sed tantùm ad ipsius personam spectet: Deinde non manifestum, ut ait Smiglecius, sed planè falsum est, initium dierum habere, ad sacerdotium non pertinere. Quandoquidem Melchisedech, cum quo Christus confertur, non nisi sacerdotii ratione, initio dierum caruit, quippe quem, quod ad personam ipsius attinet, initium habuisse, sana mentis ratio docet. Quomodo igitur Christus ei istare similis erit, si sui sacerdotii initium habuit, præsertim cum initium sacerdotii habere, in hac disputatione nihil aliud significat, quàm, ex sacerdotali tribu ortum habere? Quod idem & de eo sentiendum est, quòd sine patre, matre, genealogiaq; esse, ad sacerdotium non spectare ait. Cum Melchisedech, personæ suæ respectu, ex patre matreque natus sit oporteat, & ideò necesse sit, non personæ ipsius, sed sacerdotii ratione hæc de illo dici, maximè autem, quia mox additur, *eum hoc ipso Filio Dei assimilatum, manere sacerdotem in perpetuum.* Quomodo igitur, quod in Melchizedecho ad personam ipsius minimè spectat, in Christo ad ejusdem personam pertinebit, retenta nimirum cum illo comparatione? quam quidem non utriusque personam, sed officium spectare, ipsum autoris propositum convincit.

Heb: 7.3.

Sed enim alium respectum hîc fingit, qui nihil cum autoris istius consilio conjunctum habet, nimirum in Christo duarum naturarum. Quasi de naturis hîc disputetur, aut in Christo duas naturas esse, jam demonstratum sit. Ita nimirum isti homines ad somnia sua omnia ferè divina testimonia, præter omnem rationem divinique spiritus mentem, detorquent: sed qua felicitate id faciant, sanorum judicium esto. Manifestum quippe est, sanctam scripturam istam duarum naturarum in Christo copulationem, minimè agnoscere: contra autem, quicquid possidet divinitatis, non naturâ, sed Dei patris beneficio, cum habere, testificari; ut alibi a nostris hominibus demonstratum est.

Pergit Smiglecius, inquiens: *ait præterea Volkelius, Melchizedechum panem & vinum sacrificâsse, & nunquam cruentum sacrificium obtulisse, nullo sacro testimonio comprobari posse. Nam quod ex Gen: 14. 18. adducitur: Melchizedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei; Parenthesis illa, ad benedictionem, non ad prolationem panis referenda est, per eamque ratio benedictionis redditur, non prolationis panis.* Hîc Smiglecius non mea verba, sed

suis

ſuis verbis, ea quæ a me uberiùs dicta erant, in compendium redigere voluit. Quod quidem ego facilè paterer, cum non de verbis, ſed de rebus ipſis inter nos diſputetur, niſi diſpendium potiùs quàm compendium faciendo, illud omiſiſſet, quod ut ſententiæ noſtræ confirmandæ, ita ipſius cauſæ proſternendæ maximam vim habet. Sic enim locutus eram: *Quinimò panis vinique oblationem ad Melchizedeci ſacerdotium minimè ſpectâſſe inde conſtat, quòd autor ad Hebræos, cujus conſilium erat, ordinem Melchizedeci quàm diligentiſſimè explicare, nullam panis vinique per eum oblati mentionem facit. Nequaquam enim credibile eſt, tantum tamque fidelem cæleſtium myſteriorum interpretem, tantam rem, utpote qua tota oblationis Melchizedecianæ continetur eſſentia, ſilentio involuturum fuiſſe.* Ad hæc cum Smiglecius nihil reſpondeat, parumné liquet, eum cauſâ ſuâ cecidiſſe, & porro ſtante iſto noſtro argumento, reliqua quæ nobis opponit, ſua ſponte corruere. Verùm ut & de his videamus, illud ſanè ridiculum eſt, quòd Smiglecius ſcripturæ firmamentis, quæ ſola hîc requiruntur, deſtitutus, non ſolùm ad patrum, ſed etiam Rabinorum teſtimonia confugere non dubitat, ut oſtendat, Melchiſedecum panem & vinum ſacrificâſſe: quaſi neſciat, ſe cum iis diſputare, qui in rebus divinis, ipſis etiam patribus ſuadentibus, ut alibi a nobis demonſtratum eſt, non niſi ſcripturæ teſtimoniis ſtandum exiſtimant.

Iam quod dicit, non neceſſe eſſe, illam parentheſin ad benedictionem referri, propterea quòd & illi, qui in dignitate aliqua conſtituti fuerant, & ſi ſacerdotes non eſſent, aliis benedixerint, ut de Salomone Davideque manifeſtum eſt: nihil id Smiglecium juvat: non quòd reges aliosque, quantumvis in nullo publico munere conſtitutos, aliquando beneprecatos fuiſſe diffiteamur: ſed quòd omnes, qui vel a limine theologiam ſalutârunt, fateri neceſſe eſt, benè precandi perſonam, maximè ſingulariſſimaque Dei voluntate, ſacerdotibus impoſitam fuiſſe. Num: 6. 27.

Inſtat tamen Smiglecius aitque: *Paulus etiam cum Heb: 7. 6. hujus benedictionis meminit, non id pro cauſa affert, quòd Melchizedech ſacerdos eſſet: Sed abſolutè, quod major, ſine ulla contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.* Atqui animadvertendum erat, autorem iſtum in ipſo ſtatim ſeptimi ſuæ epiſtolæ capitis initio teſtificari, *Melchiſedechum Dei altiſſimi ſacerdotem Abrahamo occurriſſe ac benedixiſſe*, ut facilè appareat, Melchiſedecum ex ea parte Abrahamo benedixiſſe, quatenus ſacerdos altiſſimi fuit: alioqui enim fruſtra, idem autor, hæc duo in eodem verſiculo conjunxiſſet, ideoque nulla panis vinique facta

 menti-

mentione. Quid, quòd statim decimas Abrahamum ei impertitum fuisse asserit, ut ex una parte Melchisedechum, quatenus sacerdos fuit, illi benedixisse: Ex altera verò parte Abrahamum, eidem ut sacerdoti decimas dedisse, doceat. Et quidem his duobus rebus, nimirum benedictione, & decimarum acceptione, Melchizedechum Abrahamo potissimùm præferri, ex verborum contextu apparet. Ex quo intelligitur, non absolutè, ut vult Smiglecius, Melchizedechum Abrahamo majorem fuisse, sed Melchizedechum talem tantumque sacerdotem extitisse, qualis quantusque hîc esse dicitur: Abrahamum verò minimè: cùm licet Abraham quoq; obtulerit, tamen, ut supra de aliis diximus, sacerdotis titulo decoratus, inque hoc officio publico constitutus nunquam fuerit, & sic perperam a Smiglecio subjungitur: *Accedit, quòd etiam Abraham sacerdos erat; non igitur pro causa benè afferri potest, quòd Melchizedecus, quia sacerdos erat, benedixit Abrahæ. Non enim quia sacerdos, sed quia major sacerdos erat, benedicere poterat Abrahamo.* Hîc primò intelligendum est, Abrahamum, ut diximus, sacerdotem nusquam in divinis literis dici. Deinde Smiglecium seipsum refutare, cum etiam is, sacerdotii ratione, alteri præferri jurè dicatur, qui, quatenus major sacerdos est, ei præponitur. Melchizedechum porro, quatenus sacerdos fuit, & benedixisse Abrahamo, & ab eodem decimas accepisse, ex eo insuper colligitur, quòd, ut ipse Smiglecius suprà pag: 91. fatetur, illa ab autore nostro in hunc finem commemorantur, ut sacerdotium Melchizedecianum, Aaronico Leviticoque excellentius esse appareat. Opponitur quippe, si rem penitus introspiciamus, Melchizedechus, ratione benedictionis ac decimarum, non præcipuè ipsi Abrahamo, sed sacerdotibus Leviticis Aaronicisque, in Abrahami lumbis tunc existentibus. Quod quidem ita esse, partim ex disertissimis autoris istius verbis perspicitur: partim ex eo, quòd, cum de decimis benedictioneq; loquitur, perpetuò Abrahami mentionem cum Levitarum commemoratione ita commiscet, ut Melchisedechi sacerdotium extollēs, ad hos maximè respexisse videatur; Vt nihil dicam, istum autoris scopum, quem in Christi sacerdotio explicando sibi præfixum habet, id planè convincere. Præfertur igitur Melchisedech in Abrahamo Levitis, ut maior sacerdos minoribus, quippe qui & illis in Abrahamo benedixerit, & decimas ab illis acceperit: Ex quo fit, ut quæ paulò post Smiglecius dicit, nullius sint momenti: *Si*, inquit, *Parenthesis ad prolationem panis referatur, optimè omnia accōmodantur. Sacerdotis enim est, panem & vinum sacrificatum proferre, & aliis impartiri.* Atqui hîc prin-

hîc principium petis Smigleci; Vbi enim panem & vinum sacrificatum fuisse, aut hoc ipsum sacerdotis officium esse, scriptum legitur? adeoné nos dementes esse putas, ut nuda tua verba, absque omni judicio, pro oraculis habeamus? Similiter & de iis judicandum, quæ statim addit: *Neque enim*, inquit, *Melchizedech, ut rex, panem profanum protulit Abrahamo, sed ut sacerdos, panem sacrum, & Deo prius oblatum:* cum neque sacri, neque profani panis ibidem fiat mentio: Sed simplicitet dicatur, Melchisedechum protulisse panem & vinum. Neque ad rem quicquam facit, *Abrahamum*, ut dicit Smiglecius, *pane communi non indiguisse:* cum nihil prohibeat, quominus Melchisedecus, vir tantus, Abrahamo etiam minimè indigenti, de via tamen defesso, humanitatem benevolentiamq;, ut tunc mos erat, præstare potuerit. Neque enim necesse erat, ut, qui in aliquem hospitalis esse vellet, curiosè inquireret, an is, quem complectebatur, beneficio indigeret, nec ne, cum satis fuerit, quanti illum faceret, quacunque tandem ratione ostendere.

Pergit Smiglecius & ait: *Cum necesse fuerit, ad intelligendum Christi sacrificium secundùm ordinem Melchizedech, ritum sacrificii ipsius explicari, isque in scriptura solus explicatus est, qui in panis & vini sacrificio consistit; consequens est, alium sacrificandi ritum Melchisedecho non fuisse.* Respondemus, & ad Christi sacrificium secundùm ordinem Melchizedechi intelligendum, ritus sacrificii explicatione opus fuisse negamus, quandoquidem autor divinus ordinem *illum* luculentissimè explicavit, nulla panis vinique facta mentione: nec ulla ratione probari potest, ritum sacrificii Melchizedechiani, in panis vinique sacrificio consistere, cum nec panem vinumque sacrificatum fuisse, ostendi queat, Nec protinus consequitur, nullum alium ritum Melchizedechiani sacrificii fuisse, præter confectam panis vinique oblationem, quia quo ritu Melchizedech sacrificaverit, scriptum non extat, cum a non scripto ad non esse, consequentia minimè valeat. Nec dubium est, quin homines tunc, cum Moses de Melchisedecho scriberet, quæ sacerdotis divini partes essent, optimè noverint, & ideo Mosi nequaquam propositum fuerit, totam Melchisedechiani sacerdotii rationem explicare, sed satis habuerit, aliud agendo, per occasionem unum aliquod Melchisedechi factum, ad ipsius officium pertinens, proferre, veluti est benedictio. Similiter & istum autorem nostrum facere existimandum est, qui cum fortasse videret, Melchisedechum, ipso sacrificandi ritu, leviticos sacerdotes minimè superare, interim autem ea afferre constituisset, quibus illum his præstare ostenderet: non est mirum, cum de ipso ri-

psoritu, utpotè ad ipsius propositum non pertinente, nihil dicere, sed tantùm Melchizedechi tùm dignitatem, tùm ordinem commemorare: cum his duabus rebus, leviticis sacerdotibus maximè antecelluerit.

Sed jam ad alia veniendum est. Dicit Smiglecius: *nos errare, idque turpissimè, qui Christum in cælo seipsum, non per manus ministrorum, nec sub panis & vini specie, offerre dicamus.* Heb. 7. 12. *Primò, quòd Paulus asserat, translato sacerdotio, necesse esse, legis quoque translationem fieri: si igitur sacerdotium legis Christianæ est translatum in cælum, ita ut nullum ejus ministerium sit relictum in terra, legem quoque Evangelicam in cælum translatam esse, oportebit dicere.* Respondemus non nos hîc, sed ipsum Smiglecium turpissimè labi ac decipi. Nequaquam enim ex ista mutatione consequitur, evangelicam doctrinam in cælum translatam esse: cum ipsa verborum complexio ostendat, nequaquam hîc de locali mutatione verba fieri, quâ nimirum sacerdotium ex uno loco in alterum transferatur: sed de ea, qua factum est, ut, sacerdotium jam non amplius penes Aaronem Levitasque sit, sed penes illum, qui ex alia tribu, nimirum Judæ, ortum habet. Heb. 7. 13. 14. Hæc sacerdotii mutatio, quamvis & ipsius legis mutationem secum trahat, nequaquam tamen efficit, ut legem novam in cælum translatam esse, intelligendum sit: Tametsi enim Christus in cælo seipsum offert, Rempublicam tamen suam in terris existentem, novis legibus institutisque temperat: nisi volumus leges a Christo nobis latas, ad locum illum, in quo sacerdotio suo fungitur, ita adstrictas esse, ut alibi vigere non possint. Quod quidem quàm absurdum a rationeque alienum sit, non facilè dixerim. Sic enim existimandum foret, etiam veterem legem, non nisi in terrestri tabernaculo, in quo sacerdotes terreni sacrificabant, locum habuisse, si nimirum de locali utriusque mutatione, sermo esset. Vt igitur olim, quamvis sacerdocium legale in tabernaculo terreno administraretur, lex tamen extra illud apud populum proponebatur, ita & de sacrificio Christi ipsiusque lege judicandum est. Sed audiamus, quid præterea dicat Smiglecius. *Nisi*, inquit, *Christus in cælo existens panem & vinum, per manus ministrorum, offerat Deo, non erit verè sacerdos, nec habebit, quod verè & propriè offerat, contra doctrinam Pauli Heb. 8. 3. ubi diserte docet, omnem pontificem ad offerendum munera & hostias constitui: unde necesse est, & hunc habere quod offerat.* Hæc Smiglecius. Nos verò antequam videamus, an Christus verè propriè que sacerdos sit, & porro an verè propriè que offerat, respondemus, istam Smiglecii consecutionem

onem nullius momenti esse: *Christum necesse est habere, quod offerat. Ergo necesse est, ut in cælo existens per manus ministrorum offerat panem & vinum:* quasi verò aut jam probatum sit, Christi sacrificium panis vinique oblatione contineri, aut præter panem vinumque Christus nihil aliud habeat quod offerat: cum autor divinus disertissimè dicat, *Deum Christo corpus adoptâsse,* nimirum immortale cælestique tabernaculo accommodatum, illudq; eum offerre. Habet igitur quod offerat Christus, nimirum corpus suum, seu, quod planè idem est, semetipsum. Ex quo apparet, frustra postea sudâsse Smiglecium, ut nec preces nec sacrificium crucis eum nunc in cælo offerre, probaret, & sic necessariò panem vinumque illum sacrificare concluderet: cum ista insufficienter enumerari, ex iis, quæ modò diximus, liquidissimò constet. Heb:10.5. & 7.27.

Illud autem, quod paulò post asserit, verissimum est, nimirum: *fatendum esse, Christum habere aliquam victimam, quam offerat Deo semper. Alioqui non erit sacerdos in æternum, si non habeat quod offerat.* Illud autem, mi Smigleci, non nisi ipsius corpus vel ipsummet Christum esse, divinus spiritus luculentissimè docet. Quod quidem non in terris terrenisve tabernaculis, sed in tabernaculo cælesti offerri offerendumque esse, apud eundem autorem non uno in loco scriptum legimus, ut facilè appareat, id per manus ministrorum in terris fieri nec posse, nec debere. Hîc Smiglecium aut quiescere oportebit, aut manifestæ veritati contumaciter repugnando omnibus ostendere, qualis vir sit. Verùm eam ob causam maximè assensum cohibere videtur, quòd omnino necesse esse existimat, ut aliquod externũ publicumque sacrificium existat: *cum & ante legem & sub lege semper, non solùm privata, sed publica etiam sacrificia, Deo libata fuerint.* Respondeo, præjudicatam istam esse opinionem, quæ sæpissimè homines alioqui magnos, ita excæcat, ut illa etiam quæ manifestissima sunt, videre intelligereque nequeant. Quam si Smiglecius deposuerit, Christumque omnia sacrificia externa, ut umbras, adveniente corpore abolevisse, cogitaverit, facilè hujus consecutionis falsitatem deprehendet: *semper viguêre ante Christi ascensum sacrificia externa publicaque. Ergo & nunc vigere debent.* Negandum est hoc omninò, inquam, cum, ut testatur Apostolus, de divini cultus ratione sermonem habens, *vetera præterierint, novaque facta sint omnia, quique in Christo Iesu est, nova creatura sit.* 2.Cor:5.17.

Hactenus divinissimum autorem secuti, sacerdotium sacrificiumque Christi ita explicavimus, ut etiam, si verè proprièque omnia,

quæ de illo disputantur, accipienda essent, Smiglecium tamen hinc nequaquam suam, de eodem Christo in terris offerendo, sententiam concludere posse, demonstraverimus. Quanto autem magis hoc patebit, si totam sacerdotii sacrificiique istius rationem minimè propriam, sed figuratam plane esse ostendemus. Quod quidem quò magis doceamus, intelligendum est, Christi sacrificium reipsa nihil ferè ab ejusdem officio regio differre, nisi quòd divinus spiritus, hoc figurato analogicoque dicendi genere, quo pacto Christus regni sui functionem administret, ante oculos nostros constituere voluit, nihilque aliud docere, quàm, eum non solùm salutem nostram procurare posse, sed etiam velle, & porro id omninò facere. Quam quidem salutis nostræ procurationem divinus spiritus ita exprimit, ut Christum in cælesti sacrario, cujus est administer, pro nobis seipsum offerre, pro nobis interpellare, coram Deo astare seu apparere asserat. Quæ quidem non propriè, sed figuratè dici, ex eo perspicitur, quòd qui verè propriéque astat, orat, atque interpellat, is hoc ipso indicat, se susceptæ rei perficiendæ potestatem minimè habere, sed necesse esse, ut eam ab illo, qui largiri potest, precibus impetret: ut quidem in legalibus pontificibus cernere licet, qui, ut populi causam, quam offerrendo recipiebant, feliciter peragere possent, Deo supplices comparebant. Hoc autem in Christum minimè convenire, ex eo colligitur, quòd is simul ac cælum ingressus est, omnem nostri juvandi potestatem, perpetuò sibi inhærentem, adeptus est, & ideo nequaquam habet necesse, quoties aliquo nos beneficio vult afficere, ejus rei facultatem exorare. Ex quo consequitur, istam interpellationem minimè propriè Christo assignari, nisi veracissimum Dei spiritum sibi ipsi turpissimè contradicere volumus, idque tùm in diversis sanctarum literarum locis, tùm in eodem verborum contextu: ut quidem apud Paulum evenire necesse foret, qui & sessionem a dextris Dei, id est, plenissimum in omnes res imperium, & pro nobis interpellationem, eadem oratione comprehendit. Ex quo fit, ut aut in omni potestate Christo data atque concessa figuratus loquendi modus sit cogitandus, aut, interpellationis supplicationisve munere. Atqui illud fieri nequaquam potest: cum sic nec Iesus ille Christus, nec porro adorandus esset, nec invocari posset. Itaque consequens est, hoc posterius, nimirum interpellationem, nequaquam propriè, sed per quandam translationem Christo attribui, nihilque aliud revera ejusmodi loquendi formis significari, quàm, Christum divinitùs sibi concessa potentia, omnia quæ ad salutis nostræ rationem

Heb:7.27.&.9.24
1.Ioan:2.1.
Rom:8.34.
Rom:8.26.

in quam

in quam optimo firmissimoque statu collocandam pertinent, summo studio perficere. Qua quidem in re cum ex Deo Patre suo totus pendeat, & ideo legali pontifici similis sit, effectum est, ut ad hanc inter illos similitudinem indicandam, hæ legalium sacerdotum functiones, a divinis autoribus argutè admodum atque eleganter ei accommodarentur, & ita summa Dei patris autoritas atque prærogativa salva intactaque maneret, & Christum nostri gubernandi procurandique potestatem, nequaquam a seipso, sed a Patre habere, clarissimè pateret. Quæ quidem rei istius explicatio eo etiam confirmatior est, quòd cum omnibus Apostolis nihil antiquius fuerit, quam summam Christi præstantiam, summa cum fidelitate summaque diligentia describere, unus epistolæ ad Hebræos autor, sacerdotis illi titulum assignat, sacerdotumque more eum salutis nostræ procurationem habere asserit. Neque enim credibile est, eos, si Christus propriè sacerdotis personam sustineret, tantam rem tanto silentio involuturos fuisse, ut facilè appareat, apud divinum hunc autorem, qui figurato orationis genere valde delectatur, sacerdotis officio fungi illud esse, quod alii divini scriptores Christum regnare, nobis adesse, os & sapientiam nobis dare, ab ira denique nos defendere dicunt.

1. Cor: 15. 25. Mat: 28. 20. Luc: 21. 15. Rom: 5. 9.

Pergit Smiglecius & Christum in cæna missæ sacrificium instituisse faciendumq; præcepisse asserit. quia nimirum tunc corpus sanguinemque suum, non solùm Apostolis dederit ad manducandum & bibendum, sed etiam pro Apostolis, Deo in remissionem peccatorum obtulerit. *Et quidem*, inquit, *Apostolis dabat ut sacramentum, Deo ut sacrificium. Vtrumque enim expressis verbis affirmavit. Nam dicendo, accipite manducate, dare se Apostolis indicabat: Adjungendo verò, quod pro vobis datur, qui pro vobis effunditur, ostendebat, se corpus & sanguinem pro nobis offerre Deo.* Nos verò in nodi dissolutione illa omnia falsissima esse demonstraveramus, idque hoc potissimùm argumento, quòd & a Christi verbis, & ab eorum sensu, & denique a scopo, quem sibi Christus in hoc negotio propositum habebat, planè abhorrent. Primò enim liquidissimè constat, Christum non dicere, se corpus sanguinemque suum in cæna illa sacrificare, aut Apostolis dare, ut sacramentum, proq; illis dare, ut sacrificium, nec dare hoc loco, idem esse, quod offerre, ulla ratione probari potest. Iam quod ad Christi mentem propositumq; attinet, satis constat, eum nihil minùs cogitâsse, quàm corporis sanguinisque sui hostiam in cæna constituere. Cum enim hîc videamus, unum tantùm cænæ Dominicæ finem scopumque ante oculos no-

los nostros positum esse, nimirum Christi commemorationem, sive, ut Paulus rem istã explicat, mortis illius annunciationem, quorsum, quæso, attinet, contra omnem veritatem Christiq́ue mentem illud statuere, quod & per se monstrosum est, & nihil cum negocio, quod hîc agitur, conjunctum habet? Contra verò compertissimum est, Christum per cerimoniæ istius religionem commemorare, nihil aliud esse, quàm, quid quaque ratione pro nobis passus mortuusque sit, quodammodo repræsentare, quemadmodum & Christus jam instantes passiones suas mortemque jam ferè præsentem, panem accipiendo, frangendo discipulisque ad comedendum vinumque ad bibendum dando adumbravit. Id quod a nostris hominibus, scriptis in lucem editis, non uno in loco demonstratum est. Quòd autem Smiglecius verba *datur, traditur, effunditur,* in præsenti tempore posita, urget, nihil id ipsius cusam juvat: cum nequaquam novum sit, tempus præsens pro futuro, a divinis autoribus usurpari, idque tùm propter rei, qua de agitur, certitudinem, tùm propter mox futuram executionem. Quo pacto
Ioan:10.28. Christus de suis ovibus loquens, dicit: *Ego vitam æternam do eis,* licet
Ioan:17.19. tunc nondum daret. Item: *Ego pro eis sanctifico meipsum,* id est, eorum causâ morior, licet tunc nondum moreretur, sed paulò post moriturus esset. Cujusmodi & illud est: *Nunc ad te venio,* quamvis iter illud,
Ioan.17.13. quod crucis morte resurrectioneque ipsius continebatur, nondum esset ingressus. Eodem modo & illi, qui in Iesum Christum credunt, *vitam æternam habere* dicuntur: quia, licet nondum eam habeant, certò
Ioan:5.24. tamen habituri sunt. Reliqua quæ hîc dici possent, in libro nostro, de vera religione, uberrimè disputata sunt.

Hæc omnia Smigleciano isti commento opposueramus, quæ cum refutare non posset, prudens dissimulavit, nisi quòd ad ea, quæ ultimo loco dixeramus, hęc pauca respondit: *Ait quidem Volkelius, non insolens esse in scriptura, præsens accipi pro futuro: Sed advertere debuit, non quibuscunque verbis Christum usum esse, sed iis, quæ non in cruce fieri oblationem illam designarent. Nam quod apud Paulum habetur, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, quod sub specie panis, corpus pro nobis frangi designat. In cruce enim non frangebatur. Estq́; alluśio ad panem, cujus est proprium frangi: apud Lucam verò calix pro nobis effundi, quod certè de sanguine in cruce effuso intelligi non potest. Is n. nec in calice erat. sed in corpore Christi, neque ex calice, sed ex corpore Christi effundebatur,* Hæc ille. Nos verò nihil aliud videmus, quo errorem suum tueri possit: quandoquidem nec oblationem istam in cœnâ Dominica factam esse o-

esse ostendit, nec fractionem effusionemque sacrificandi significationem habere docuit, nec præsens pro futuro hîc minimè accipiendum esse demonstravit: nec consecutio, qua id concludere nititur, quicquam valet: nimirum, quia corpus Christi in cruce non fractum, sanguisque non ex calice, sed ex corpore Christi effusus sit, (cum non in calice ibi sed in corpore Christi fuerit) ideo non in cæna Domini adumbrari, quod mox in cruce futurum erat. Hoc, inquam, Smiglecii argumentum nullius ponderis esse, ex eo constat, quòd nequaquam necesse est, ut in adumbratione res adumbrans cum re adumbrata per omnia conveniat, nullaque prorsus inter utramque reperiatur dissimilitudo: sic enim non adumbratio, sed identitas esset. Satis autem per fractionem panis Christi corpus paulò post verberibus contusum, clavis lanceaque perfossum, in cruce distentum, cruciatibusque afflictum adumbratur, ideoque quamvis non propriè, per quandam tamen dicendi figuram fractum esse dici potest. Quod idem & de vino ex calice effuso sentiendum est, ut nimirum, quod sanguini propriè attribuitur, nempe profusio, id ad vinum impropriè referatur, quippe quod propriè loquendo non profundatur, sed infundatur. Christi porro mortem, quam in cruce perpessus est, hîc quodammodo repræsentari seu annunciari, nulla ratione negari potest, nisi Paulum, quod absit, mendacii insimulare volumus. Qua quidem veritate stante, nugatorio missæ sacrificio nullum in cæna Dominica locum esse, omnes sani intelligunt.

Pergit Smiglecius, *& Volkelium indignè ferre ait, mensam Domini exponi altare, cum Paulus mensam Domini mensæ dæmoniorum opponit. Quando enim Christus cænam instituit, non altari, inquit, sed mensæ accubuit.* Hæc Smiglecius. Quis autem tantam stulticiam non indignè ferat, nisi cûdem cum Smiglecio dementatus insaniâ. Constat enim in domo illa, in qua Christus & pascha celebravit, & cænæ suæ cerimoniam instituit, nullum altare fuisse, cum non nisi in templo altaria fuerint. Non nego quidem altaria, propriè sic dicta, interdum in scripturis impropriè mensas appellari: contra verò mensam propriam altare nominari, aut certè hoc in loco id fieri, pernego, cum rem longè aliter se habere ex paulò ante dictis constet.

Sed enim oppositione illa mihi obstrepit Smiglecius, quam inanissimam esse, satis jam demonstraveram. Inquit enim: *Sicut mensa dæmoniorum illa intelligitur, in qua dæmonibus offerrebatur: ita & mensa domini intelligenda est, in qua Domino offertur.* Hîc antequam aliquid aliud di-

ud dicam, animadvertendum est, Smiglecium ridiculè admodum sibi-ipsi adversari. Cum enim Paulus, per Dominum, cujus mensam commemorat, sine dubio Dominum Iesum intelligat, cumque isti fese ipsum Dominum Iesum offerre, perpetuò contendant, quomodo, quæso, in mensa Domini, ipsi Domino offertur, ut hîc loquitur Smiglecius? Nonné aliud est, Dominum offerre, aliud, Domino? ut facilè appareat, istam oppositionem non nobis, sed ipsi Smiglecio plurimùm nocere. Qui namq; Domino offert, aliud quippiam, præter ipsum Dominum offerat necesse est, cum nemo sibi ipsi offerri possit, nisi altera ex parte consequens esse volumus, etiam in mensa dæmoniorum, ipsos dæmones dæmonibus offerri, quod absurdissimum est. Dicit autem: *ratio quam Volkelius affert, nihil habet momenti. Illa enim eadem mensa, & respectu cœnæ, mensa, & respectu sacrificii, altare meritò dici potest.* Respondemus, hoc esse principium petere. Nam prêterquam quòd mensa Domini a nullo sacro autore altare dicitur; etiam probandum erat, in mensa Domini, ipsum Dominum ipsiusvé corpus sanguinemque sacrificari, aut sacrificandum esse, ne dicam, hoc nulla ratione fieri posse. Animadvertendum præterea est, Smiglecium (ut facilè hominis candorem agnoscas) illam responsionis meæ partem reticuisse, quâ vel solâ oppositionis istius inanitas convincitur. Ea autem his verbis comprehensa erat: neque enim, quia gentiles in altari idolis offerũt, ideo cõsequens est, etiam mensam Domini altare esse: cum non oblationis, sed participationis ratione mensa Domini cũ mensa dęmoniorum cõparetur, ut tota verborum complexio indicat. Docet nimirũ Paulus, eos, qui mensæ Domini accumbunt, hoc ipso facto declarare, se omnium rerum participes esse, quorum gratiâ Christus mortuus est, quemadmodum & illi, qui victimis, quæ idolis libatæ erant, vescebantur, hoc faciendo dæmoniorum consortium profitebantur. Vnde colligitur, nequaquam opus esse, utrobique altare aliquod cogitare: cum ad Pauli mentem assequendam satis sit, tàm hîc quàm illic, rerum illarum, de quibus agitur, participationem animo comprehendere. Neque enim necesse est, ut alterum cum altero comparetur, ea per omnia inter se conveníre, satis quippe est, ea in re alterum alteri simile esse, de qua agitur. Hæc omnia, inquam, Smiglecio refutanda erant, si istam oppositionem salvam esse voluit. Quo in loco & hoc addendum putavi, non satis constare, Paulum per mensam dæmoniorum, altare intelligere, in quo victimæ idolis libabantur, quandoquidem, ex ea tantùm parte eam mensæ Domini opponit, quatenus in ea gentiles idolothytis vescebantur

ſcebantur, quòd quidem in altari eos feciſſe, nulla ratio ſuadet: Contra verò hoc in conviviis, citra ullam altaris rationem fieri potuiſſe, ex eodem Pauli loco apparet, nihilque prohibet, quo minus, quod priùs in altari idolis oblatum erat, poſtea eos in menſa comediſſe, intelligamus. Quid, quòd per figuram dicendi ſcripturis uſitatiſſimam, menſæ nomine, cibi potionesque intelligi poſſunt, ut & hoc in loco multi viri doctiſſimi annotârunt. Vnde etiam magis apparet, quàm infirmum ſit Smiglecii argumentum, ex hoc Pauli teſtimonio perperam depromptum. 1. Cor: 10. 28.

Iam quod ad illa autoris divini verba attinet: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatẽ, qui tabernaculo deſerviunt* &c. ſatis in nodi diſſolutione oſtenderamus, ea ad cænam Domini, nedum ad confectum iſtud altare ſacrificiumvé nequaquam pertinere. Quod quidem ideo ineptiſſimè a me fieri ait Smiglecius, quòd Paulus, poſtquàm eſcas Iudaicas nihil apud Chriſtianos valere oſtenderat, mox adjungat, *habere Chriſtianos alias eſcas in altari, quæ maximè cor ſtabiliant, quas non poſſint edere, qui veteri legi adhuc deſerviunt.* Reſpondeo autem id a vero alieniſſimum eſſe, cum autor iſte non dicat, *Habemus alias eſcas in alteri: ſed, habemus altare, de quo non habent poteſtatem edere, qui tabernaculo deſerviunt:* ut facilè appareat, hunc autorem potiùs contrarium illis dicere, quæ ipſi a Smiglecio affinguntur, nimirum, nos in altari iſto noſtro nullas eſcas habere. Loquitur enim de populo Chriſtiano, ut ex toto verborum contextu perſpicuum eſt, eumque, ut de aliis rebus, quæ ad Chriſtianam pietatem minimè pertinent, fugiendis, ita de vitanda ciborum religione monet. Cujus quidem rei hanc cauſam affert, quòd Chriſtiani habeant altare, & ideo tabernaculo deſerviant, id eſt, ſacerdotum munere fungantur, dum ſpirituales hoſtias, paulo inferiùs ab eodem autore commemoratas, offerunt. Vt igitur olim, poſtquam legalis ille pontifex, mactatâ victimâ, cum ejusdem ſanguine tabernaculum ingreſſus eſſet, non licebat reliquis ſacerdotibus victimâ illâ veſci, quippe quæ extra caſtra cremanda eſſet: Ita, poſtquam Chriſtus ſummus pontifex noſter, corpore ipſius extra civitatem crucifixo, in cæleſte tabernaculum intravit, nequaquam nos minores ſacerdotes, qui ſpirituales hoſtias offerẽdo, quaſi tabernaculo inſervimus, in cibis divini cultus rationem collocare debemus. Ex quo intelligitur, nec de ullo proprio altari, nec de propriis ſacerdotibus, qui a reliquis Chriſtianis ſejuncti, Chriſtum offerant (ut nimirum ſit eſca illa, quam ſeſe Smiglecius in altari habere ſomniat) ſermonem Heb: 13. 10.

Levit. 4. 11. &. 6. 30. &. 16. 27. Num. 19 3.

esse. Et hoc quidem ideo, quòd Christi corpus extra civitatem crucifixum, respondet, in hac collatione, illis victimis quæ extra castra cremabantur, comedique nō poterant. Quod cum ita sit, quomodo, quæso, Christi corpus in mensa Domini, quam Smiglecius altare falsò dicit, esca esse potest? Illud verò, ea de causa, quod & totum hoc negotium, ab illo autore descriptum, prorsus analogicum spirituale que est, & sine ulla distinctione ad universum Christianum populum spectat, nihilque aliud in se continet, quàm spiritualem Dei colendi rationem, nobis a Christo & præscriptam, & tùm morte, tùm in cæleste tabernaculum ingressu confirmatam, quæ omnem ciborum religionem respuit, cultoresque suos, qui altari hoc in loco deservire dicuntur, ad illum extra castra seu portam exire jubet, ut vana ciborum religione abjecta, veram vitæ sanctimoniam colentes, & spirituales hostias offerentes, unà cum illo omnia adversa pati sustinereque discant; ex quo tandem fiat, ut ad eum in cæleste illud tabernaculum veniant. Itaque perspicuum est, omnia quæ Smiglecius de esca spirituali, quam vel Iudæi olim comederint, vel Christiani hodierni in cæna dominica, ex nescio quo altari comedant, multis verbis disputat, nullum hîc locum habere. Similiter & de illis judicandum est, quæ post modum subjungit: nempe, *veteri legi deservientibus non licere escâ eucharistica vesci.* Item: *escam eucharisticam continere Christi corpus in cruce oblatum:* Item: *exeundum esse ad Christum extra castra, ut corporis ejus escâ frui liceat.* Fundamento enim, in quo Smiglecius ista ædificaverat, destructo, id est, negato eo, quod Smiglecius autori isti suo more affingit, *nos nimirum alias escas in altari habere*, corruant necesse est omnia. Adde, quòd *ad Christum extra portam exire*, non significat, veterem legem relinquere, ut vult Smiglecius, sed, unà cum Christo patiendo, ad cælestem illam patriam tendere, cum, ut mox addit divinus autor, *hîc manentem civitatem non habeamus, sed futuram* (in qua Christus habitat) *inquiramus.* Qui sensus insuper etiam his divini autoris verbis exprimitur, cum ait: *Exeamus ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes.* quasi dicat: tantâ animi constantiâ ipsius religionem colamus, ut eum secuti, omnia adversa sustineamus, hacque ratione extra mundi hujus castra, ad illum tandem venire æternumque vivere possimus.

Hîc verò Smiglecius, tanquam sui oblitus somnoque solutus ea dicit, quæ alio loco dicenda erāt, inquiens: *Vanissima verò est illa Volkelii ratio, quâ sacrificium a cænâ excludi putat, quòd cæna ad solam commemorationem mortis Dominicæ, non ad sacrificandum sit instituta. Etenim*

nim nulla re magis atque sacrificio eucharistiæ mors Domini repræsentatur, cum hic corpus, illic sanguis Christi Deo pro nobis offertur, uti pro nobis in cruce oblatus est. Hæc ille: Atqui non sic probandum erat, Volkelii rationem vanam esse: sed afferendum vel unum testimonium divinum, quo non solùm ad Christum commemorandum, sed etiam sacrificandum, cænam ab ipso institutam esse comprobaretur. Quæ enim hoc loco dicit Smiglecius, multò vaniora sunt. Probandum quippe erat, primò, Christi mortem in cæna per sacrificium missæ repræsentandam esse. Deinde ita memorem Smiglecium esse oportuit, ut sibiipsi ne contradiceret: cum enim sacrificium corporis sanguinisq; Christi, panis fractione, vinique ex poculo effusione perfici velit, supra autem pag: 94. iisdem rebus Christi mortem repræsentari, non obscurè neget, propterea, quòd nec Christi corpus in cruce fractum, nec sanguis ex poculo, sed ex Christi corpore effusus fuerit; quomodo, quæso, ipse secum consentit? dum hîc ait: *nulla re magis atque sacrificio eucharistiæ, mortem Domini repræsentari.* Ita nimirùm perpetuò sibiipsis dissimiles eos esse oportet, qui simplicem semperque sibi constantem veritatem non amant.

Caput XVI.

Examen quintæ demonstrationis, a potestate eucharistiam conficiendi ductæ.

Christus suis ministris dedit potestatem conficiendi sacramentum corporis & sanguinis sui.

Hanc potestatem nec habent, nec agnoscunt Ministri Evangelici.

Non sunt, igitur, veri ministri.

Responderamus, majorem falsissimam esse, cum quod in ea asseritur, nec usquam scriptum extet, nec cum hac actione, a Domino instituta, quicquam commune habeat. Vbi enim, quæso, legitur, cænam Dominicam esse sacramentum, Christumque hujus sacramenti conficiendi suis ministris potestatem dedisse? Smiglecius verò cum nullum his de rebus testimonium afferre possit, sophismatum artificio, suo more, evadere conatur. Ait enim: *quis adeo insulsus est, ut quamlibet rem suo nomine nuncupandam neget: si eucharistia sacramentum est, cur sacramentum dici non debet?* Rectè quidem: Atqui si vocabuli istius significationem inspicias, cænam Dominicam sacramentum minimè

esse facilè intelliges. Nec de nihilo est, quod tùm Evangelistæ, tùm Apostoli, actionis istius rationem diligentissimè explicantes, & aliquot aliis nominibus eam appellantes, nec sacramenti vocabulo, nec verbis idem significantibus usi fuêre. Si namq; ex aliis illorum verbis, nomen istud colligi posse viderem, equidem perinde haberem, ac si expressè huic cerimoniæ impositum esset. Ex quo fit, ut exemplum, *Dei summum bonum appellati*, nihil ad propositum faciat: cum licet hoc Dei nomen literis syllabisque istis in scriptura expressum non sit, aliis tamen verbis idem innumeris in locis explicari constet. Quòd si sacramenti vocabulum, nonnisi rem sacram, ut Smiglecius asserit, designaret, equidem non repugnarem, quamvis sic non septem, quemadmodum illi volunt, sed innumera sacramenta constituenda essent, cum & res sacræ innumeræ esse videantur. Aut igitur fucum hîc facit Smiglecius, sacramenti vocem sic interpretando, aut quid ea significet, non satis intelligit. Quorum utrumque a tanto Theologiæ doctore longissimè abesse debet: animadvertendum enim est, *sacramentum latinis jusiurandum seu juramentum esse*, cujus in cæna Domini nullam haberi rationem manifestum est. Neque enim hîc ullo, nostram fidem, jure jurando adstringimus, sed longè aliam rem, ut sæpissimè jam dictum est, agimus. Quod si quispiam dicat, theologis, ut & aliis, in singulari aliquo artificio versantibus, vocabulorum quorundam abusum permitti: respondemus, vocis abusum tunc jure concedi, cum necessitas id fieri cogit, & verbi abusus a re ipsa minimè dissentit. Verùm cum nec ulla necessitate impulsi, isto vocabulo hoc in loco utantur adversarii, quandoquidem rem, qua de agitur, multò verioribus magisque propriis nominibus a viris sanctissimis appellatam esse constat, nec ille vocis sive usus sive abusus, ullam cum sacro hoc negocio convenientiam habeat, parumne liquet, sacramenti vocabulo nullum planè hîc locum esse? Quanquam enim variè nomen istud a theologis accipitur, in hoc tamen omnes consentiunt, ut sacramenta non signa tantummodò, sed etiam obsignationes confirmationesque divinæ gratiæ, atque adeo ejusdem in nos conferendæ, instrumenta quædam esse statuant. Id quod a vero cænæ Dominicæ usu planè abhorret, quippè quæ nec ullam nobis Dei gratiam donet, nec obsignet, sed solennem pro iam donata obsignataque gratiarum actionem contineat.

Iam quod Smiglecius *matrimonium a Paulo sacramentum, dici asserit, quia sit res sacra, nimirum conjunctionis Christi cum ecclesia signum*, toto

toto cælo errat, cum nec Paulus sacramenti, sed mysterii voce utatur, nec externam carnalemque mariti uxorisque copulationem, sed spirituale illud vinculum, quo Christus cum sua ecclesia colligatus est, magnum mysterium appellat. Nam præterquam, quòd in externo manifestoque maris fœminæque conjugio, nihil arcani secretique cernimus, etiam expressè, idque e vestigio, de Christo ecclesiaque sese loqui Apostolus ait. Falsum igitur est, matrimonium esse signum conjunctionis Christi cum ecclesia. Ex quo apparet, non Volkelium, ut dicit Smiglecius, sed ipsum sese omnibus ridendum proponere, qui eucharistiæ, nomen sacramenti, præter omnem rationem scripturamq; imponere non dubitet, cum cerimoniæ istius natura definitioque, cum isto vocabulo, ut ostendimus, nihil conjunctum habeat. Meminerit igitur, ei, cui notatio definitiove non convenit, nec notatum definitumve convenire. Ephes. 5. v. 32.

Pergit autem, inquiens: *Negat Volkelius, Christum hujus sacramenti conficiendi Apostolis potestatem dedisse. At Christi verba: hoc facite, erroris Volkelium convincunt. Non enim solùm edere ac bibere jubet Apostolus, sed totum id efficere, quod ipse tum faciebat.* Respondet Volkelius, & minimè se, istis Christi verbis, erroris convinci dicit, quinimò idem quod hîc dicit Smiglecius, fatetur, cum in nodi dissolutione sic loquatur: *Facere, non sacramentum conficere, sed panem fractum vinumque infusum ad Christi commemorationem comedere bibereque significat:* Hîc quis non videt, Volkelium ineptissimæ isti consecutioni occurrisse. *Christus non solùm edere ac bibere jubet, sed totum id efficere, quod ipse tunc faciebat. Ergo tunc dedit Apostolis potestatem conficiendi sacramenta.* Totum quippe illud, quod Christus tunc effecit, in pane accipiendo, cumque gratiarum actione frangendo, & ad comedendum dando, poculoque omnibus porrigendo, consistit, si modò Evangelistis Apostolisque credimus, qui hæc tantùm, & nihil præterea, & sic nec eucharistiæ confectionem commemorant. Falsum igitur est, quod mox addit Smiglecius: *Primùm verò & ante omnia Christus panem corpus suum efficit, & vinum sanguinem, in illis verbis: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Nam & ad edendum & bibendum dedit utrumque. Ergo idè illos facere jubet, ut panem Christi corpus efficiant, & illo vescantur, aliisque ad vescendum præbeant: maximè quòd, nisi panis efficiatur corpus Christi, & vinum sanguis, edi & bibi a nemine possit:* Hîc intelligendum est, nec Christum verbis istis panem suum corpus, nec vinum sanguinem effecisse, nec porro Apostolis ad comedendum bibendumq;

dumque dedisse. Nihil enim hîc amplius eum facere videmus, quàm panem accipere, frangere, Apostolisque ad comedendum dare, & calicem iisdem ad bibendum exhibere. Nec dicit: hic panis, hocque vinum, fiat corpus meum & sanguis meus: sed, hoc est corpus meum, & hic calix est novum testamentum in sanguine meo. Quantum autem inter duos istos loquendi modos intersit, vel ex eo patet, quòd, quæ de calice hîc dicuntur, nequaquam eum sensum habere possunt, quasi dicatur, hic calix fiat novum testamentum, seu in novum testamentum transmutetur, cum & res ipsa hoc nunquam factum fuisse, testetur, & porro absque absurditate istud ne cogitari quidem, nedum dici possit. Adde quod ista Christi verba longè alium sensum continere, & satis a nobis jam demonstratum est, & evidentiùs suo loco demonstrabitur. Quid, quòd nihil absurdiùs monstrosiusq; cogitari potest, quàm Christum suum ipsius corpus tunc fregisse, Apostolisque comedendum dedisse, cum integrum vivum incolumeque mensæ accumberet. Quomodo enim, quod frangitur comeditурque, & ex quo sanguis effunditur bibiturque, integrum incolumeque esse potest? nisi fortè Christum duo corpora habuisse volumus, quorum alterum ab altero integro permanente, ex pane effectum, fractum, Apostolis ad comedendum datum, vulneratum denique fuerit, ut ejus sanguis biberetur. Apage istam stulticiam. Quæ tamen multò tolerabilior videtur, quàm hæc altera, quâ statuitur, Apostolos, hodiernosque sacrificulos, ut idem faciant, in mandatis habere. Tunc enim Christus ejusmodi corpus habebat, quod ex carne sanguineque constabat, ideoque frangi vulnerarique poterat: & tamen nihil absurdiùs dici potest, quàm Dominum in cæna illud fregisse Apostolisque comedendum sanguinemque bibendum porrexisse. Quantò igitur magis hoc dicendum est, si sacrificulos hodiernos tantum facinus designare volumus, cum, ut supra demonstravimus, Christi corpus, quod nunc in cælo habet, glorioſum carnisque & sanguinis expers sit, ideoque a miseris istis hominibus laniari comedique non possit.

Dixeram in nodi dissolutione, *facere*, id, non ad solos ministros spectare, cum Paulus Apostolus totum hoc negocium, & ideo etiam *facere* istud, a Domino acceptum, universæ ecclesiæ Corinthianæ, & porro etiam reliquis ecclesiis sese tradidisse affirmet. *Facere* enim *hoc* ipse explicans dicit: *Quotiescunque panem hunc comederitis, & poculum biberitis, mortem Domini annunciatis.* Respondet Smiglecius: *Fateor Paulum explicare eam partem, quæ a fidelibus in cæna præstanda est. At non id,*

non id, quod a ministris hujus sacramenti præstari debet. Fideles enim eo in loco instruit, non ministros, quos antè, cum ministerio præficerentur, probè in suo munere instructos non ignorabat, facitque potestatem, toti Ecclesiæ Corinthiorum edendi corpus, & bibendi sanguinem Christi, sed de manibus ministrorum. Nos verò dicimus hîc Smiglecium insigniter falli, cùm apertissimum sit, Paulum non solùm comedendi bibendique: sed etiam panis accipiendi, frangendi, vinumque poculo infundendi partes a Domino acceptas, fidelibus tradidisse. Eosdem enim Corinthios perpetuò alloquitur, nec ullam ministrorum ab auditoribus distinctionem adhibet.

Nec obstat quòd posterioribus suis verbis tantùm comedendi bibendique actionem commemorat: cùm non solùm nihil prohibeat, quin fractio infusioque subaudiatur, sed etiam in ea contineatur necesse sit. Neque enim panis, quod ad hanc quæstionem attinet, comedi, vinumque bibi potest nisi fractum atque infusum. Atqui Smiglecius *hoc a Ministris fieri debere asserit.* Responderamus autem in nodi dissolutione, nullo divino testimonio comprobari posse, omninò necesse esse, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens, reliquis cænam Domini dispenset: contrà verò compertissimum esse, hujus cerimoniæ religionem universæ Christi ecclesiæ, in perpetuam illius mortis commemorationem, traditam esse. Paulus quippe sese eam a Domino acceptam universo fidelium Corinthiorum cætui tradidisse asserit. Nec ullum tunc extitisse vel Apostolum vel Apostolorum successorem, qui reliquis in cæna Dominica celebranda præiret, inde constat, quòd vel universam illam Ecclesiam, abusus nomine reprehendendi nullam causam habuisset, cùm Apostolus, qui ipsis præfuisset, nec ipse errare ea in re potuisset, nec reliquos errare permisisset; vel si quis Apostolorum loco relictus, tum ipse errasset, tum reliquis errandi causam attulisset, ad illum perstringendum potiùs, quàm ad alios orationem direxisset. Hæc, ut & alia multa, Smiglecius non refutavit: & tamen nugas suas, tanquam a nostris objectionibus planè vindicatas, subinde venditare non desinit.

Caput XVII.

Examen sextæ demonstrationis, ex ministerio sacramentorum sumptæ.

Legitimi ministri sunt dispensatores sacramentorum.
Ministri Evangelici non sunt dispensatores, sed dissipatores sacramentorum.
Non sunt igitur legitimi ministri.

Responderamus in nodi dissolutione, majorem aliquot modis falsissimam esse. Nam nec ullo sacro testimonio sive expresso, sive implicito nititur: nec ad legitimi ministerii essentiam pertinet, sacramenta dispensare: nec earum rerum administratio, quas Smiglecius Augustini reliquorumque autoritatem, quam nos minimè moramur, secutus, sacramenta vocat, isto nomine usquam apud divinos autores appelatur. Hæc inquam in priore nostrâ responsione dixeramus, Smiglecius verò iis omnibus præteritis, illud unum arripuit, quòd *Volkelius asserit cænæ Dominicæ distributionem baptismique administrationem, ad certos quosdam homines, qui soli necessarioque hanc personam sustineant nequaquam adstrictam esse.* Respondet autem hūc in modum: *Quid magis apertum in scripturis, quàm Deum ministros a reliquis fidelibus, ut pastores ab ovibus discreviße, iisque ministerium & dispensationem suorum ministeriorum commisisse, utque reliquos fideles, verbo & sacramentis pascerent, potestatem dediße?* Hæc Smiglecii verba, partim ad propositum nihil faciunt, partim minùs vera sunt. Primò enim non quæritur hîc, an inter pastores & oves aliquod sit discrimen: sed utrum cænæ Dominicæ baptismique administratio ad certos quosdam homines necessariò adstricta sit, qui soli ejus rei potestatem habeant. Quod quidem falsissimum esse, nos tùm altissimo hac de re scripturæ silentio: tùm Pauli Corinthiis cænam Domini tradentis exemplo demonstraveramus: quippe qui non solùm nulla, inter ministrum aliquem, reliquosque distinctione adhibita, sese cerimoniam illam a Christo acceptam, omnibus præscribere asserat: sed etiam universum illum cætum, abusus nomine reprehendat. Quod neutiquam feciſſet, si certus ibi homo ad reliquis in cæna Dominica celebranda præeundum, ordinatus fuisset: Quin potiùs ad ducem istum perstringendum omnem suam orationem direxisset. Baptismum porrò ab iis etiam administratum fuisse, quibus munus illud singulariter assignatum minimè fuit, tùm

tum anonymus, tum nos, aliquot scripturæ testimoniis comprobaveramus: Verùm Smiglecius, ut multa alia, ita & hæc in sua refutatione dissimulavit, satius nimirum esse ratus, tacere, quàm veritati contradicere: nos tamen lectorem ad nodi dissolutionem remittimus. Iam quod dicit: *Deum ministris suorum mysteriorum dispensationem commisisse: ut reliquos fideles verbo & sacramentis pascerent*, id illud ipsum est, quod paulò ante minus verum esse diximus. Tametsi enim Paulum aliosque tum Apostolos tum eorundem socios, mysteriorum Dei ministros fuisse, ut Paulus asserit, minimè negamus: nequaquam tamen consequens esse dicimus, cænæ Dominicæ baptismique administrandi potestatem, certis hominibus, necessariò, iisque solis datam esse: Cùm licet Paulus sese mysteriorum Dei dispensatorem nominet, idem tamen sese ad aqua baptizandum missum esse neget: ut facilè appareat, etiam illum divinorum mysteriorum dispensatorem esse posse, qui sacramenta, ut a Smgilecio vocantur, non administrat: aut si id facit, non tanquam rem necessariò ad se pertinentem facit. Vnde apparet, mysteriorum nomine non sacramenta ista præcipuè intelligenda esse: sed ejusmodi res, ad quas exequendas, Paulus sese missum esse negare non potuit, nimirum prima illa Evangelii prædicatione contentas. Qua de causa alibi negavit, quempiam eas prædicare potuisse, nisi esset missus: hîc verò ad baptizandum sese missum non esse disertissimè asserit. Ex quo colligitur, eum, ut sine missione Evangelizare non potuit: ita baptizare absque missione potuisse, cum sese nihilominus aliquot Corinthios baptizasse affirmet. Quis igitur non videt, sacramentorum. quæ vocant, administrationem necessariò ad illos, qui divina mysteria dispensarunt, adstrictam minimè fuisse, & porrò Smiglecium isto Pauli testimonio, quod voluit, cõprobare non potuisse. Administrent sanè ministri cænam Domini baptismumque in ecclesiis constitutis, ut & Paulus aliique fortasse fecerunt, ordinis decoriique conservandi causa: non autem quia necessariò soliique hoc facere teneantur, cùm non solum hoc probari minimè possit: sed contrarium etiam a nobis satis jam demonstratum sit.

1. Cor: 4. 2.

1. Cor: 1. 17.

Rom: 10. 15.

1. Cor: 1. 14. 16.

Hîc verò Smiglecius aliquot absurda ex nostra sententia profluere asserit. Primò enim inquit: *si cuicunque liceat sacramenta ministrare, licebit & dæmoni baptizare & cænam ministrare, si quidem ad hæc nulla singulari opus sit potestate.* Quanti verò ista Smiglecii ratiocinatio facienda sit, jam suprà suo loco ostendimus, cum ex ipsiusmet sententia Deum ne per bonos quidem angelos, ne dum per malos, cum homi-

nibus certis de causis agere, & ideò dæmonis instantiam heterogeneam planè, tantoque theologo indignam esse doceremus. Cùm enim ad solos homines rerum sacrarum administratio, Deo sic instituente, pertineat, eosque non quoscunque, ut nos dicere fingit Smiglecius: sed tantùm Christi fideles, nec eos quoslibet, sed ad hanc rem idoneos, nonné absurdè planè dæmonis instantia hoc loco affertur?

Alterum quoque absurdum ex nostra sententia minimè consequitur, planeque ridicula est hæc connexio: *Administratio cænæ Dominicæ, ad certos homines necessariò non est adstricta. Ergo licet in popinis & mensis communibus cænam sacram sumere.* Vt enim hujus absurditatis nos convinceret, opus insuper erat, ut nos cænam Domini rem profanam, quæ nihil a communibus mensis differat, existimare, ostenderet. Quod quidem nos nequaquam facimus. Quin imò eam propter sanctissimum usum sanctissimæque rei celebrationem, ab omnibus profanis mensis distinguimus, omnesque judicium sibi comedere ac bibere asserimus, qui nec seipsos probatos exhibendo, nec corpus Domini judicando, indignè huic sacræ mensæ accumbunt. Si igitur, ut ad rem redeam, nec cænæ Dominicæ dispensatio, nec baptismi administratio, necessariò ad solos ministros, ut ostendimus, alligata est, quamvis reliquis sacramentis, quæ vocantur a Smiglecio, enumeratis, longè præstare videantur: quomodo quæso, non multò minùs hæc, utpote illis inferiora, certis personis alligata esse putabimus? Inanissima igitur est Smiglecii gloriatio, qua se in eo insolentissimè jactat, quòd Catholici, quos vocant, ministri omnia septem sacramenta integra conservaverint ac conservent: cùm nec usquam illis hoc injunctum sit, nec ejusmodi omnia fuerint, ut conservari possent, aut omninò deberent, quippe quæ tantùm primævæ illius ecclesiæ propria fuerint. Et hîc quidem ursimus Smiglecium in nodi dissolutione, hunc in modum: Ostendat Smiglecius, verbi causâ, se suosque ejusmodi conservasse manum impositionem, quam mox consequatur donatio spiritus sancti. Ostendat ejus generis unctionem, suos sacerdotes retinere, quam comitetur admiranda morborum depulsio. Ostendat se suosque eum baptismum usurpare, qui in primæva illa ecclesia vigebat, ubi non infantes, rationis usu, verbi divini auditione, & sic fide carentes, sed adulti, illique vel ab Ethnica vel a Iudaica religione deficientes, aquâ baptizabantur, idque in nomine Christi, id est, publicè Christi nomen profitentes. Ostendat se Dominicæ cænæ religionem, eodem modo colere, quo ab ipso Christo instituta, a Paulo que Corinthiis aliisque

isque tradita est, id est, sese unà cum suis, nihil illi addidisse, vel ab ea detraxisse: & sic non solùm illas murmurationes, gesticulationes, aliasque nugas incantationibus simillimas, non adhibere, quippe quibus nec Christus, cerimoniam istam instituens, nec Apostoli eam retinentes usi fuerunt. Ostendat etiam se suosque Catholicos sacerdotes, populo poculum non subtraxisse. Quæ enim ad hanc fraudem tuendam affert, meræ nugæ censendæ sunt, nimirum sese hoc faciendo, prout ecclesia ab ipsis Apostolis & spiritu sancto edocta fuit, sacramenta dispensare, secundùm Christi mandatum, institutionem & exemplum. Quod quidem falsissimum esse, ipsa institutionis verba, ipsaque hujus sacræ actionis descriptio luculentissimè docet. Dicit etiam nunquam ecclesiam censuisse, utramque speciem ad salutem necessariam esse. quasi verò hoc quæratur, & non potiùs an sacerdotes isti, integram hanc actionem conservaverint. Ait: *totum Christum esse in una specie:* quasi verò aut usquam hoc scriptum extet, aut ad rem propositã quicquam faciat: cum non quæratur an Christus in aliqua specie sit, sed an quamcunque speciem subtrahere, sit negotium istud integrum conservare? Verba Christi ad neutram cænæ Dominicæ speciem, & sic nec ad ipsam cænam Dominicam spectare, & suprà demonstravimus, & alibi uberiùs a nostris demonstratur. Hæc omnia Smiglecio opposueramus: sed nihil respondere potuit, nisi quòd poculi subtractionem defendendam suscepit, idque nequaquam directè ad nostra argumenta respondendo, sed novis nugis, miseras chartas suas replendo. Primò enim ait: *Falsum esse, affirmo, nos alteram speciem eucharistiæ tollere. Etenim statuimus magis, quàm omnes evangelici. Nam evangelici neutrum verè conficiunt, nostri sacerdotes utramque. Quid enim evangelici in utraque specie habent, si Christum in neutra habent? aut quid illis proderit ad salutem utraque species sine Christo, a quo solo vita æterna nobis in hoc sacramento confertur? umbras specierum habent, veras species non habent, cùm species sine Christo sint nuda, inania, egena elementa. Ergo cum utriusque speciei essentiam (quæ Christus est) evangelici tollant, an non verissimum est, utramque speciem illos tollere?* Hæc Smiglecius. Nos autem hîc nihil videmus, præter meras nugas principiisque petitiones. Nam & alteram speciem istos laicis subtrahere, nemo nisi cæcus non videt, ipseque Smiglecius postea, parum sibi constans, fatetur, *sese laicos poculi usu prohibere:* & eos utramq; speciem conficere falsissimum est: & nihil magis ridiculum tamque rationi contrarium excogitari potest, quàm utramque speciem conficere, alteram tamen, ut minimè

necessariam fidelibus subducere: cùm Christus, teste Paulo, toti ecclesiæ utramque speciem tradiderit: & nihil a vero alienius est, quàm utramque speciem, non ad sacramentum, sed ad sacrificium spectare: cùm ut satis ostendimus, ista distinctio, nullo nec scripturæ, nec rationis præsidio confirmari possit, huicque actioni, nec sacrificii, nec sacramenti appellatio, ulla ex parte conveniat: & ista omnia, quæ hîc dicit Smiglecius, nihil ad rem propositam faciant. Omnibus quippe nostra legentibus constat, nos non eo sensu alteram speciem ab illis tolli, quo sese hoc facere negat Smiglecius, affirmare, ipseque egregiè intelligit, nos de poculi usu laicis subtracto verba facere: & tamen, cum sua umbra pugnat. Nihil denique stultius ab eo dici potuit, quàm Evangelicos, ideò neutram speciem habere, quia Christum in neutra habeant, quia Christus sit utriusque speciei essentia. Cùm enim Christum ita in speciebus istis habendum putet, ut panis sit corpus Christi in cruce oblatum, & vinum Christi sanguis in cruce effusus, ut quidem sub hujus capitis finem disertissimè asserit: cumque hoc ipsum ex eorum numero sit, quæ fieri non possunt, ut suprà demonstravimus, parumné liquet, non solùm evangelicos, sed nec catholicos, eo, quo dictum est, modo, Christum in cæna ista habere, & sic ex ipsius Smiglecii sententia, non magis, sed multò minùs, utramque speciem, quàm evangelicos constituere. Nam præterquam quòd Christi carnem sanguinemque realiter non habent, etiam usum poculi, fidelibus subducunt. Quoniam igitur nugæ istæ in tantas vos conjiciunt difficultates, tantaque pariunt absurda, quid causæ est, quin illis spretis, eam sententiam amplectamini, quæ & verissima est, & ad scopum, quem Christus in hac cerimonia ibi propositum habebat, proximè collimat, nimirum mortis ipsius repræsentationem, seu ut Apostolus loquitur, annunciationem? In qua quidem sententia, si Evangelici sunt, licet Christum realiter in ipsius cæna non habeant (cùm id nec fieri possit, nec ut fiat opus sit) satis rectè cænam Domini celebrant. Nec verè dicit Smiglecius, *eos Christum cæna Domini exturbâsse*, cùm is sese in pane futurum nunquam dixerit, & sic qui ibi realiter non est, inde exturbari non possit. Frustra autem urget Smiglecius verba, *Hoc est corpus meum*, cum longè alia de causa Christum sic locutum fuisse suprà docuerimus, quàm quia ipsius corpus in pane sit.

Dicit tandem Smiglecius, *sese unà cum suis, ideò laicos ab usu calicis prohibere, quia Christus ita instituerit, ita fieri voluerit.* At ubi quæso? Cur non adducis Christi verba, quibus hæc ipsius institutio exprimatur?

matur? Itané vobis licet dicere quod vultis, vestraque somnia Christo contra omnem veritatem affingere, proque ipsius institutis, abstersо omni pudore, venditare? Sed nihil aliud hîc respondet Smiglecius, *quàm Christi institutionem, quæ ad sacrificium spectat, utramque speciem complecti: qua verò alios fines respicit, æquè ad unam speciem, ac ad utramque pertinere.* Atqui quid est principium petere, si hoc non est? cùm nec sacrificium hîc fieri probare possitis: nec Christi institutionem æquè una ac utraque specie contineri, ulla ratione demonstretis; quinimò cum Christus utramque instituerit, nugatoriaque sacrificii ac sacramenti distinctio jam profligata sit, nonné apertissimum est, unam speciem, ad ritè cænam Domini celebrandam minimè sufficere; nisi Christum sapientissimum frustrà utramque instituisse volumus. Respondet Smiglecius: *Si solam institutionem Volkelius urgere velit, nihil efficiet. Etenim inter viros doctos constat, institutionem aliam quandam rem esse, quàm præceptum, multaque institui possunt, ad quæ nemo præcepto obstringitur.* Atqui Smiglecius facilè intellexit, me non de simplici, sed ejusmodi institutione loqui, quæ non nisi præceptum esse potest. Dixi enim, Christum cerimoniam istam ita instituisse, ut panem fractum comedere, exque poculo omnes bibere jusserit, & sic utriusq; speciei usum absolutissimè mandaverit, utrobique modo imperativo utens. At inquit Smiglecius, *me non advertisse, verba: Bibite ex hoc omnes, non præcipientis, sed offerentis aut invitantis esse. Qui enim similibus verbis alteri poculum porrigit, nequaquam illum præcepto obligat, solùm ad bibendum invitat. Quare præcepti obligatio aliundè, quàm ex hoc contextu verborum colligenda est.* Respondemus Smiglecium vehementer errare, rationemque, quam hîc affert, frivolam admodum esse. Neque enim Christi consilium fuit, civilem quandam vulgaremque, & in hominum arbitrio positam, sed solennem religiosamque, tàm poculi propinationem, quàm panis appositionem, tanquam diem festum instituere, totamque actionem ad mortis suæ commemorationem, tàm diu in ecclesia, dummodo ea semper extaret, duraturam, dum ipse veniret, suis celebrandam tradere. Vidit hoc ipse Smiglecius sine dubio, eamque ob causam istud suum commentum non urget, sed jam utramque speciem in sacrificio retinendam esse asserit: jam retineri posse: non tamen omnino debere: jam denique jussisse Dominum Apostolos edere ac bibere, verùm non absolutè, ut mireris hominis titubationem ac inconstantiam, facileque agnoscas, eum falsæ sententiæ patrocinium suscepisse, cùm veritas semper sibi similis sit.

Quid

Quid quòd nullum istorum cum vero conjunctum est? Nam nec ullum hîc sacrificium, ut docuimus, offertur: nec unquã poculi usum prætermitti jure posse, ipsa Domini institutio cænæq; ipsius scopus convincit: nec deniq; ulla ratione probari potest, non absolutè Dominum suos edere bibereq; jussisse. Ait autem Smiglecius: *Christum tum Apostolos jussisse edere ac bibere, cum ipse manibus suis edendum & bibendum offerret.* Verùm ineptissimè hæc dicuntur. Quid enim quæso, hoc Christi factum, ad simplex absolutumq; mandatum excludendum habet momenti? cùm præsertim nullum ejus rei indicium appareat, quale fuisset, si dixisset, *eatenus edite ac bibite, quatenus ego vobis edendum ac bibendum porrigo.* Quinimò cum utramq; speciem dederit, utramq; ad suam commemorationem, mortisq; suæ annunciationem requiri apertissimè docet. Verùm, quantum video, non nisi eam ob causam Smiglecius isto artificio utitur, ut quacunque tandem ratione poculi subtractionem tueatur. Fallitur autem sua spe longissimè: cùm sic non minùs panis, quàm calix subtrahi, aut certè calix retineri: panis verò subduci posset, nimirum, quia tum non solum ex calice biberunt, sed panem etiam comederunt, cùm Dominus eum daret. Quod quidem si illis absurdum videtur, satis hoc ipso ostendunt, ad panis exclusionem, aliam requiri rationem præter eam, quam hîc Smiglecius attulit. Similiter igitur & de subtractione poculi existimandum est, nimirum non ideò eam committendam esse, quia tum ex eo Apostoli biberunt, cum illud Dominus porrigeret: sed aliam eamq; verissimam ob causam id jure fieri posse docendum, quam quidem Smiglecius nec attulit, nec allaturus est unquam.

Ex quo apparet, & hæc, quæ mox subjungit, falsissima esse, nimirum *Christum hoc eodem sensu omnibus fidelibus præceptum imposuisse, ut quoties Ecclesia & legitimi pastores edendum & bibendum obtulerint, præcepto se obstrictos arbitrentur, ad utramque speciem sumendam: si verò Ecclesia institutionem integram in una sola specie intelligens, unam fidelibus porrigat, debent esse una contenti.* O nugas inanissimas & Iesuiticæ Theologiæ doctore dignas! Vnde enim, quæso, apparet, Christum hoc sensu, vel Apostolis panem poculumq; porrexisse: vel Ecclesiæ ministrisq; præceptum hoc tradidisse? Aliter enim sese rem habere, partim jam docuimus, partim ex eo perspicuum est, quòd Christus tantùm semel cænam suam instituit, & ne tenuissimo quidem indicio ostendit, Ecclesiæ ministris liberum fore, interdum calicis usum prætermittere. Quodsi sæpius hoc Christus fecisset, & jam utramque, jam

unam

unam tantùm ſpeciem adhibuiſſet, equidem faterer unà cum Smiglecio, liberum eſſe miniſtris, ſive hoc, ſive illo modo, Dominicam cænam adminiſtrare, fidelibusque omnino, ipſorum, ea in re arbitrio, judicioque ſtandum eſſe. Verùm cum ſecus eſſe videamus, eaq; demum vera Chriſti Eccleſia ſit, quæ ab ipſius inſtitutis ne latum quidem unguem recedit, minimè illos audiendos eſſe ſtatuimus, qui contra Chriſti inſtitutionem, unâ ſpecie nos contentos eſſe volunt.

Ait autem Smiglecius: *Paulum Apoſtolum iſtam poculi abſtractionem adumbrâſſe, cùm* 1. *Cor:* 11. *de utraque ſpecie loquens, jam particulâ conjunctivâ, jam disjunctivâ, indicare volens, tàm cum utraque ſpecie conjunctim utendum eſt, quàm cum altera tantùm, mortem Domini annunciandam eſſe. Quotiescunque, inquit, Panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et mox: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Reſpondemus: ſi Smiglecius iſtam cænæ Dominicæ mutilationem expreſſis ſcripturæ teſtimoniis, aut evidentibus rationibus demonſtrâſſet, facilè concederemus, Paulum hîc eam quodammodo adumbrâſſe. Verùm cum illud non fecerit, & hoc vanum eſſe nemo non videt, cum nihil prohibeat, quo minùs conjunctionem, *vel* pro conjunctione *Et*, iſto in loco uſurpatam eſſe intelligamus, idemque ſenſus utrobique retineatur: cum præſertim in poſterioribus Pauli verbis ſtatim addatur: *reus erit corporis & ſanguinis*, non autem, *corporis vel ſanguinis Domini.* Neque enim Chriſti totius in unâ ſpecie præſentiam poterit prætendere, cum ſomnium iſtud jam prorſus convulſum ſit. Non novum autem eſſe, duas iſtas conjunctiones, confundi, ita ut *Vel* idem ſignificet, quod *Et*, tùm ex multis locis patet, tùm maximè Levit: 14. 57. ubi de lege lepræ fit mentio, ad docendum, *quid mundum vel quid immundum ſit*, quod idem planè eſt, ac ſi diceretur, quid mundum & quid immundum ſit, ut alii viri doctiſſimi verterunt, ſic cap: 23. 38. &c.

Pergit Smiglecius. *Conſimili ratione*, inquit, *cum de ſpecie panis loquitur, refert Chriſtum dicentem abſolutè: Hoc facite in mei commemorationem. De calice verò: Hoc facite, quotiescunque feceritis: Cur enim exiſtimamus, iſtam explicationem calici & non pani additam, niſi ut calicis uſus non perpetuò futurus in eccleſia indicaretur, cum panis uſus conſtans & perpetuus eſſet futurus.* Nam quod Volkelius ait, *illam exceptionem ad tempus utendi tantummodo pertinere, cum, etſi, inquit, mandato Chriſti, ad utriusque ſpeciei uſum obligati ſimus, ad certum tamen tempus minimè ſi-*

mè simus adstricti, sed id in ecclesiæ arbitrio positum a Christo. Id verò non satis aptè a Volkelio dicitur: cur enim tempus assignaretur poculo & non pani, cum æquè ad utrumque pertineat? an verò casu id dictum existimabitur ab eo, qui est ipsa sapientia & verbum patris? Hîc intelligendum est, Smiglecium tamen a malitia non discedere, cum illam tantùm responsionis meæ partem, eamque a se mutilatam, arripiat, quæ ipsius morsui videbatur obnoxia: alteram verò, quæ ad ipsius commentum planè convellendum maximam vim habet, per summam fraudem reticeat. Dixeram enim hoc pacto: Nihili faciendæ sunt istæ Smiglecii elusiones, utpote nullo nixæ fundamento, contra verò & verbis & menti Christi adversa fronte repugnantes. Quòd enim verbo, *Quotiescunque*, ostendere conatur, non absolutè nos juberi ex poculo bibere, meminerit idem vocabulum paulò post, ab eodem Apostolo, non minùs ad panem, quàm ad poculum referri, cum ait: *quotiescunque panem comeditis poculumque bibitis.* Ex quo fit, ut, si vera Smiglecius hoc loco dicit, non magis ad panem comedendum, quàm ad poculum bibendum obligemur, & sic non solùm unam, sed utramque speciem totamque adeo Christi cænam tolli necesse est. Discat igitur tandem Smiglecius, vocabulum *quotiescunque*, non ad ipsum cænæ Dominicæ usum, necessitate, quæ ex Christi mandato dependet, excludendum adhibitum esse, sed quemadmodum temporis significationem habet, ita ad tempus referri debere, ut nimirum ostendatur, cænæ Dominicæ usum, nobis quidem planè a Domino mandatum fuisse, ad certum tamen tempus minimè alligatum, sed in ecclesiæ arbitrio positum esse, quibus temporibus illud Christi mandatum exequi velit. Hæc Smiglecio responderamus, ex quibus aliisque multis perspicuum est, quàm candidè nobiscum agat, quamque falsum sit, tantùm poculi usum ad tempus referri, panis verò nequaquam. Quòd si dicat, a Paulo id fieri, non autem a Christo ipso: cum hujus verbis ab illo citatis, nulla temporis conditio adjungatur. Respondemus, quod Paulus dicit, perinde habendum esse, ac si id ipse Christus dixisset, cujus ille personam sustinuit. Adde, quòd Paulus simili modo, non autem Christus, poculo temporis circumstantiam addere dici posset: cum omnes evangelistæ cerimoniam istam explicantes, Christum ita de poculo loquentem inducant, ut nullam temporis faciat mentionem. Nihil igitur agit Smiglecius, cum apertum sit, Paulum, ut fidelem Christi mentis interpretem, utrique speciei temporis, quantumvis incerti, mentionem addere.

Adex-

Ad extremum sic loquitur Smiglecius. *Et sanè quid prohibet, fideles, unâ tantùm specie utendo, integram Christi, pro nobis in cruce mortui, commemorationem facere: cum ejus carne & sanguine, in una licet specie, vescatur.* Respondeo, id prohibere, quòd Christus utramque constituit atque mandavit, cui omninò obtemperandum est, nisi nos illo plus sapere putemus. Fideles in una specie carne illa Christi, & illo sanguine, qui pro nobis in cruce effusus sit, vesci non posse, jam ad nauseam usque demonstratum est. Verba quoque illa Christi Ioan: *6. qui manducat carnem meam* &c. ad cænam Domini minimè pertinere, longèque alia de causa ab illo tunc prolata fuisse, supra satis docuimus.

Caput XVIII.

Examen septimæ demonstrationis de Ecclesiæ Catholicæ ministris.

Ministri veri, sunt ecclesiæ catholicæ ministri.
Ministri Evangelici non sunt ecclesiæ catholicæ ministri.
Ergo non sunt veri ministri.

Hunc paralogismum ita refutaveramus, ut, quantum videmus, Smiglecius eum tueri non potuerit. Nam nec omnia, quæ dixeramus, in medium profert, nec ea quæ profert, eo ordine ac modo adducit, quo a nobis erant dicta. Quod ut omnibus pateat, intelligendum est, nos majorem negâsse, propterea, quod ex ipsius Smiglecii sententia, is etiam verus minister esse potest, qui ei ecclesiæ præest, quæ catholica, id est, toto orbe terrarum diffusa non est. Fuisse quippe tempus, cum Christi ecclesia vix in una provincia, nimirum Iudaica, consisteret, idque post Christi in cælos ascensum. Tantum enim abest, ut tunc statim apud gentes viguerit, ut nec in omnibus Iudaicæ regionis partibus locum habuerit. Quid igitur, an ideo ecclesia illa non habuit veros ministros? quia nimirum memorata ratione ac via catholica non fuit? Quid, quòd ipse Smiglecius fatetur, *Ecclesiam initio fuisse exiguam.* Item: *non semper superâsse numero reliquos homines.* Item: *sub finem mundi cogendam & restringendam esse.* Cum igitur, quantumvis exigua, tùm fuerit, tùm futura sit, veros tamen ministros & habuerit & habitura sit: nonné sole clarius est, falsò a Smiglecio negari, *eos veros ministros esse, qui ecclesiæ catholicæ ministri non sunt.* Dixeram etiam, catholicam esse, nec ad veræ ecclesiæ essentiam spectare, nec ejus verum signum nomina-

ri posse: cum hîc ejusmodi signa requirantur, (si modo illis opus est, vel ulla ratione dari possunt) quæ propria, inseparabilia, necessaria, & indubitata sint, semperque in re signata reperiuntur. Nec hoc idem diffitetur Smiglecius, cum ait: *At inquit Volkelius, ad essentiam ecclesiæ non pertinet, ut sit catholica: quid tum? sit sanè proprietas: at ejusmodi, quam secundùm divinæ promissionis modum, indissolubili nexu, cum ecclesia conjungi necesse est: ut si ea careat, non Christi ecclesia, sed Synagoga Sathanæ censeri debeat.* Hîc Smiglecius suo se gladio jugulat. Si enim catholicam esse, ad ecclesiæ essentiam non spectat, quomodo quæso ministerii essentiam constituet? Si dixerit, satis esse, si ecclesiæ catholicæ ministrum esse, sit verorum ministrorum proprietas; respondeo, jam satis ostensum esse, aliter sese rem habere. Quod ut magis appareat, animadvertendum est, Smiglecium ipsum fateri, *ecclesiam, principii finisque ratione, nec fuisse, nec futuram catholicam.* Quomodo igitur verum erit, quod hoc loco dicit, *catholicam, indissolubili nexu, cum ecclesia, cujus sit proprietas, ita conjungi, ut si ea careat, non Christi ecclesia, sed Synagoga Sathanæ censeri debeat?* Annè primæva illa ecclesia, quam in initio exiguam fuisse dicit, Synagoga Sathanica minimeque Christi ecclesia fuit, & sic Apostoli aliique veri ministri nequaquam fuêre? Nec quicquam suæ causæ præsidii affert Smiglecius, quod dicit: *Nam quòd initio fuit ecclesia Christi exigua, & pusillus grex, id minimè scripturis adversatur.* Quanquam enim id scripturæ non repugnet, Ipsius tamen absurdæ, ne dicam impiæ assertioni, maximè adversatur, nimirum, *Pusillum & sic minimè catholicum gregem non ecclesiam Christi, sed Synagogam Sathanicam esse.* Neque enim hîc quæritur, an scripturæ adversetur, ecclesiam in religionis Christianæ primordio exiguam fuisse: sed an, quia exigua & minimè catholica fuit, non veros ministros habuerit. Sed audiamus, quid post modum dicat Smiglecius: *Scripturæ ejusmodi amplitudinem promittunt, quæ ab exiguis initiis in summam amplitudinem perventura esset. Cum verò rursum ad finem mundi Antichristi tempore ecclesia cogenda sit, & restringenda, ut fidem vix inventurus sit Christus veniens ad judicium, idipsum eventurum, scriptura prædixit, ut non nesciretur, toto ferè tempore interjecto amplissimum futurum ecclesiæ statum, sacra oracula verissimè testantur. Quocirca eam amplitudinem ecclesiæ negare, est maximæ temeritatis & impudentiæ.* Hæc ille. Quæ omnia ad propositum nihil afferunt momenti: cum hîc non quæratur, an ecclesiæ amplitudo promissa sit, & an aliquando ampla nec ne fuerit: sed, an hoc ipsum ecclesiæ proprietas sit

& sem-

& semper necessarioque in ea reperiatur: & porro, an tunc temporis, cum illam amplitudinem non haberet, vera nihilominus ecclesia fuerit, verosque ministros habuerit. Vertat igitur sese Smiglecius in omnes partes, nunquam ex hac difficultate, qua seipsum implicavit, emerget, dum fateatur, etiam eam ecclesiam veram esse, verosque ministros habere posse, quæ catholica non est, & sic se temerè inconsiderateque effutiisse, ecclesiam, quæ illa, quam dicit, proprietate careat, non ecclesiam Christi, sed Synagogam sathanicam esse.

Iam quod ad illam amplitudinem attinet, quâ medio ecclesiæ tempore, seu inter ipsius initium finemque mundi interjecto, floruerit, minimè eam probari posse crediderim, cum non multò post Apostolos, generalissimam a divina veritate defectionem incidisse, manifestissimum sit, & sic revera illud evenerit, quod Antichristi tempore de ecclesia futurum Smiglecius dicit, id est, ecclesia in angustum exiguumque numerum compulsa fuerit: quia nimirum Antichristus tunc statim extitit, ut Paulus testatur. Quid, quòd si maximè eam amplificatam, perque totum terrarum orbem diffusam, toto isto medio tempore esse concedamus, nequaquam consequitur, id ei necessariò, tanquam immutabilem proprietatem, inesse. Nam præterquam quòd, ut diximus, non diffitente etiam Smiglecio, ejus principium finisq; contrarium arguunt, in hominum arbitrio positum est, vel salutarem Christi doctrinam amplecti retinereque, vel eam contemnere, aut acceptam denuò repudiare, fierique potest, ut paucissimi eam accipiant, acceptamque retineant. Respondet Smiglecius: *quasi verò, quod in hominum arbitrio positum est, fieri necessarium non sit: si ita a Deo futurum prævideatur & prænuncietur.* Hîc verò ablegandus est Smiglecius ad scholasticos complures que alios veteres Theologos, ego enim nequaquam tantum mihi tribuo, ut ista tam profunda differere valeam. Videbo tamen, quomodo cum illis, hac de re, digladiaturus sit. Quantum igitur ex illorum opinione colligere possum, nequaquam istam Smiglecii responsionem admissuri sunt. Dicent enim, eam ita secum pugnare, ut vel liberum hominis arbitrium, vel necessariam futurorum contingentium Dei prænotionem tollere oporteat. Liberum quippe hominis arbitrium, liberas actiones complecti ajunt, & sic non necessarias, sed contingentes, id est ejusmodi, quæ possint fieri & non fieri, & porro nequaquam uno certo modo eveniant, ut ea quæ necessariò fiunt. Ex quo consequi asserunt, futura contingentia nullo modo esse, antequam fiant, omne enim ens aut nunc est, aut aliquando fuit, aut cer-

2 Tess. 2.

aut certò futurum est. Atqui, inquiunt, futura contingentia in que hominis arbitrio posita, nullo istorum modo sunt, cum neque in seipsis sint, nec ullam existentiæ suæ necessariam ac definitam causam habeant. Si igitur non sunt, inquiunt, nec scibilia sunt, cum non entium nullæ sint qualitates aut passiones, & porrò nec a Deo præsciri possint. Quod si ita est, hæc Smiglecii responsio consistere non poterit, cum ait: *quasi verò, quod in hominum arbitrio positum est, fieri necessarium non sit, si ita a Deo futurum prævideatur.* Si dixerit Smiglecius, dirissimam blasphemiam esse, Deo omniscientiam negare. Respondebunt, Deum ex ea parte omniscium esse, ac dici, quatenus omnia scit, quæ suâ naturâ sciri possunt: quemadmodum & omnipotens est, quatenus omnia potest, quæ possibilia sunt, aut suâ naturâ fieri possunt. Quemadmodum igitur, cum dicitur, Deum mentiri, mori, factum infectum reddere non posse, nequaquam is suâ omnipotentiâ spoliatur: ita nec omniscientiâ privatur, cum ea nescire dicitur, quæ nullo modo existunt, nulliq; scientiæ subjecta sunt: veluti sunt, hominum actiones futuræ, in ipsorum libera voluntate positæ & porrò contingentes: ut verissimum esse illud pronunciatum videatur: *De futuris contingentibus, non est determinata veritas.* Magis autem, ut quidem ego existimo, Smiglecii causam eo infirmari dicent, quod ipse fatetur, *Deum prævidendo, liberum hominis arbitrium non auferre.* Hoc enim, si verum est, inquient, ea quæ a nobis liberè & sic contingenter fient, non ex Dei præscientia, sed potius hæc ab illis dependebit, & sic, quale est scibile, tale sit scientia, nimirum contingens, & non necessaria, vel, ut planius dicam, Deus non necessariò sed contingenter ea præsciet, quæ sunt contingenter futura. Quod quidem, quantam vim habeat ad confirmandum, ecclesiam, ubi vis terrarum, necessariò existere, ego prius videre non possum, quam ista a Smiglecio refutentur. Et quidem nequaquam sese hæc ita disputare dicunt, ut tantum mysterium ad solum rationis humanæ judicium perpendant, quamvis & hoc cum divina veritate minimè pugnare existiment, sed ipsas etiam sacras literas sibi suffragari statuant. Nam præterquam, quòd liberum humanæ voluntatis arbitrium scripturam concedere aiunt, etiam non solùm totius mundi gubernationem, maximèq; rerum humanarum procurationem, Deo passim apud divinos autores assignari asserunt, Sed etiam plurima divina testimonia extare affirmant, quæ, si Deus contingentes hominum actiones, antequam fiant, necessariò prævideat, intelligi explicariq; nullo pacto possint. Ac de libero quidem hominis arbitrio,

trio, satis jam diximus. Gubernationem autem mundi rerumque humanarum procurationem, quam Deus pro suo arbitrio exequitur, cum ista ipsius prænotione simul consistere non posse, ex eo perspici dicũt, Quòd hac stante, illa frustrà susciperetur. Quid enim necesse est, inquiunt, Deum hominum facta, pro suo arbitratu, moderari, si ea jam ab omni æternitate, sic & non aliter futura prænovit? Aristotelem quippe in 3. Ethicorum libro, prolixè ostendere ajunt, *De necessariis nullam esse consultationem, nullamque eorum prudentum dispositionem.*

Iam ut de iis divinis testimoniis dicamus, quæ futurorum contingentium præscientiam excludere videntur: primò illud Gen: 6: v. 6, 7, adducunt: ubi *Deus indoluisse dicitur, propter insperatam hominum malitiam, hominibusque 120. annos ad resipiscendum indulsisse.* Deinde illud Ezai: 5. 4. ubi *Deus vineam plantâsse dicitur, expectâsseque, eam bonas uvas prolaturam, cum tamen præter ipsius spem labruscas protulerit.* Præterea illud Rom: 2. ubi *Deus per summam patientiam, hominum pœnitentiam expectare dicitur.* Item: Gen: 22. 12. *Quòd Deus tum demum Abrahami pietatem cognovisse dicitur, cum filium suum offerre paratus esset.* Hæc omnia, inquiunt, stante infallibili futurorum contingentium Dei prænotione, intelligi explicarique nequeunt.

Exemplum Iudæ ac Petri Smiglecium nihil juvat, nisi ostendat, utriusq; peccatum ex contingenter futuris esse, id est, ejusmodi, ut nullam definitam futuræ suæ existentiæ causam habuerit, quâ nimirum cognitâ, ejusdem effectus prænosceretur. Quod quidem secus est. Primò enim ad Iudam quod attinet, intelligendum est, Ideo Christum futuram ipsius proditionem & prævidisse & prænunciâsse, quia certò & non contingenter futura erat: quippe cum non solùm deliberatissimam ipsius hoc faciendi voluntatem viderit, sed etiam, Deum hunc ipsius conatum minimè impediturum, certò sciverit. Ex una enim parte Deus jam ante decreverat, ut aliquis ex Christi domesticis esset, qui eum proderet, idque adeò in Davidis persona, cui idem contigerat, adumbravit: Ex altera autem parte Iudas ad hanc rem, quippe avaritiæ furtoq; deditus, accommodatissimus fuit: quem Deus, ut sui sceleris debitas pœnas lueret, in hoc alterum peccatum incidere voluit? Quid igitur mirum est, Christum hoc & prævidisse, & prædixisse? Psal: 41. 10.

Quod porrò Christus Petrum, ter ipsum ante galli cantum negaturum prædicit, similiter minimè mirum est, cùm eum temeritate sua promeritum esse videret, ut Deo permittente, atque adeò ejus rei occasio- Mat: 26. 34.

casionem dante, in ejusmodi scelus laberetur, ex quo minimè contingenter, sed necessariò ipsum factum consecuturum erat. Nihil igitur hîc agere Smiglecium isti dicent, & sic non Volkelium, sed ipsum Smiglecium, ita disputando, quàm parum in scriptis theologorum versatus sit, ostendere affirmabunt. Plura hac de re si cupit cognoscere, legat Theologos uberrimè quæstionem istam explicantes.

Pergit autem, & *Volkelium scripturas de ecclesiæ per totum orbem diffusione insulsè interpretari ait, dum eas non ad necessarium effectum, sed ad Dei consilium referendas asserit, quippe per quem nihil fiet, quo minùs omnes Christi doctrinam amplectantur, imò qui ejus rei, toti terrarum orbi amplissimam occasionem præbeat.* Hæc a nobis, ea de causa insulsè dici, Smiglecio videntur, *quòd per se clarissimum sit, scripturam non de occasione agere, sed de eo, quod re ipsa futurum erat. Etsi enim absque ulla coactione, inquit, id futurum sit, est tamen omninò reipsa futurum. Non enim id solùm necessarium dicitur, quod coactè & vi adhibita fit: Sed etiam, quod, cum fieri & non fieri possit, revera tamen omninò futurum est.* Hæc Smiglecius. Atqui providendum illi erat, ne aliis insulsitatem exprobrando, ipse insulsissimum se præberet. Quis enim vel fando audivit, ea, quæ cùm possint fieri & non fieri, ideoque si fiant, contingenter eveniunt, necessariò tamen fieri? Quid porrò insulsum, sibi contrarium, planeque a ratione alienum est, si hoc non est?

Dicit porrò Smiglecius, *se stomachari, quòd nullas ecclesiæ proprias notas dari posse affirmaverim:* sed, quæso, ne tantoperè sæviat, cogitetque, mihi multa, multis in locis absurdissimè ab ipso dicta stomachum non fecisse, cur igitur ea stomachetur, quæ sunt verissima? Ait autem: *si ecclesia omnibus per se nota esset, signis procul dubio opus non haberet. At cum gravissimæ de ecclesia disputationes inter sectarios existant, ita, ut singuli suam sectam veram ecclesiam, magna contentione demonstrent, quid magis a vero alienum est, quàm signis ecclesiam non egere?* Respondemus, hîc Smiglecium principium petendo, duo pro concessis sumere, quæ nos falsissima esse persuasum habemus. Primum est: omninò necesse esse, ut ecclesia, quænám & ubi sit, investigetur. alterum: eam non nisi ex propriis notis cognosci posse. Ac primum quidem necessarium minimè esse, nimirum ad salutis adeptionem, ex eo patet, quòd ad hanc rem satis est, in Christo fiduciam locatam habere eique obtemperare, ut divinus spiritus non uno in loco testificatur. Adde, quòd nusquam in divinis literis præcipitur, ut unusquisque, quæ & ubi sit vera Christi ecclesia, pervestiget. Sed enim ideò, dicunt adversarii, ec-

clesiam

cleſiam perveſtigandam eſſe, ut ejus membra evadere poſſimus. Atqui jam ejus membrum is eſt, qui Chriſto confidit, cum talis ſalutarem Chriſti veritatem teneat neceſſe ſit. Eccleſia quippe Chriſti eſt cætus hominum ſalutarem ipſius veritatem tenentium. Ex quo conſequitur, non eccleſiam, ſed ſalutarem veritatem inquirendam eſſe, quam ſimul ac inveneris amplexusque fueris, ſtatim absque ulla inveſtigatione eccleſiam agnoſces, quippe eandem veritatem profitentem. Quod cum ita ſit, conſequens eſt, alterum quoque falſiſſimum eſſe, videlicet, non niſi ex propriis ſignis eccleſiam cognoſci poſſe. Quid enim eam ad rem ſignis opus eſt, ad quam cognoſcendam ſalutaris doctrinæ notitia ſufficit? quæ quidem ſignum dici non poteſt, cum ad ipſam eccleſiæ eſſentiam pertineat. Ea porro dari non poſſe, omniaque quæ a Romanenſibus confinguntur, ſatis a noſtris hominibus demonſtratum eſt, ad quorum ſcripta Smiglecium rejicimus, præſertim cum hîc nullum attulerit, ſed tantùm ſtomacho ſe exarſiſſe dicat. Illud tamen prætereundum nequaquam duxi, quod hoc loco Smiglecio, dubio procul, in mentem venturum eſt, omnes nimirum illos, qui a Romana eccleſia defecerunt, quantumvis varias in ſectas diſſectæ ſint, ſalutarem veritatem profiteri, & tamen ſe invicem non agnoſcere, nec unam eccleſiam conſtituere, imò acerbiſſimis inimicitiis inter ſe diſſidere. Hîc reſpondemus, ad eccleſiam agnoſcendam, veritatem ſalutarem ita tenendam eſſe, ut eam diſcernas a veritate non ſalutari, id eſt, utili quidem illa, ſed non omninò ad ſalutem neceſſaria, & ſimul intelligas, qua in re & quomodo a ſalutari veritate aberretur, ut nimirum inter errores ſalutem æternam adimentes, & non adimentes, diſcernere poſſis, & ſic veritatis ſalutaris puram & cum aliis opinionibus nequaquam commixtam noticiam habeas. Hac enim de cauſa, eandem veritatem ſedulò inquirendam eſſe dicimus. Quod quia multi non faciunt, ſed neceſſaria cum utilibus, errores ſalutem adimentes cum tolerabilibus, ſine ullo delectu confundunt, fit, ut mutuò ſeſe ferre amareque nequeant. Et hæc quidem eſt cauſa, cur nos omnes omnium ſententias tolerare poſſimus, modò fidei obedientiæque Chriſto debitæ ne adverſentur, verumque Dei Chriſtique cultum minimè evertant, aliæ verò ſectæ nec nos nec alios ferre poſſint, quia nimirum nos, Dei beneficio, eo, quem diximus, modo ſalutarem veritatem tenemus, illæ verò non item.

Pergit Smiglecius, & de Petro diſputationem inſtituens, dicit: *Volkelium neſcire, quid ſit ſuper Petrum ædificare*, proque ratione ſuam ſen-

tentiam affert, inquiens: *Aio igitur in Petro ædificatam esse Ecclesiam, non communi solùm aliis Apostolis ratione: sed singulari quadam & ipsi soli propria. Nam Apostoli quidem omnes, cum primi sua prædicatione Ecclesiam in orbe terrarum fundaverint, meritò fundamenta Ecclesiæ dici possunt: eamque ob causam in Hierusalem illius cælestis duodecim fundamentis, duodecim Apostolorum nomina inscripta recensentur in Apocalypsi: At Petro non id promissum est a Christo, quod cæteris Apostolis commune erat, sed quod singulari ratione ad ipsum Petrum pertineret.* hæc ille. Nos autem antequam, quid illud singulare sit, videamus, respondemus, etiamsi ita esset, non tamen rectè Smiglecium negare, *ædificari super Petrum*, esse, ipsius doctrinam tenere ac profiteri; cum super ipsam Petri personam ecclesiam fundatam esse, nemo sanus dixerit, propter causam in nodi dissolutione a nobis allatam. Quod cùm ita sit, quis non videt, hoc idem Ecclesiæ signum non esse? cum ad Ecclesiæ essentiam constituendam pertineat. Deinde magnam mihi spem sui corrigendi facit. Longè enim aliam in suo nodo illius prærogativæ rationem attulerat, quàm nunc affert: *nimirum, Petrum totius Ecclesiæ, ut ordinarium pastorem, fundamentum dici: in aliis verò Apostolis particulares ecclesias fundatas esse.* Quam suam assertionem, cum ita a nobis refutatam videret, ut quod opponeret, non haberet (ostenderamus enim evidentissimis scripturæ testimoniis, omnes Apostolos universæ Ecclesiæ fundamentum nominari) jam aliqua ex parte nobiscum faciens dicit, *alios Apostolos universæ Hierusalem cælestis fundamenta dici posse.* Et inferiùs cap: 109. *ait, eos ita suo tempore fundâsse Ecclesiam, ut eis nullus in cura & administratione universalis ecclesiæ succederet.* Multa nobis dat Smigl:, daturus, sine dubio, plura, nisi cum præjudicata opinio excæcaverit. Quod quidem ut assequamur, duo hoc loco videnda sunt: Primò, quibus documentis demonstret Smiglecius in Petro, non communi cum aliis Apostolis, sed singulari ipsique peculiari ratione Ecclesiam fundatam esse. Deinde, qua in re propria ejusdem singularisque dignitas constituta sit. Ac argumenta quidem illa quatuor potissimùm sunt. Primum est, *quòd soli Petro, nomen Petri seu Petræ impositum sit eo fine, ut in eo ædificandam esse ecclesiam significaretur, hanc enim esse nominis istius rationem, Christum ipsum declarare. Quod si id commune futurum erat Petro cum aliis Apostolis, quid ad hunc finem, inquit, oportebat soli Petro nomen mutare, aut cur aliis Apostolis simili modo nomen mutatum non est?* Hæc ille. Nos verò fatemur quidem, non temerè solum Petrum isto nomine appellatum, aliisque Apostolis nomina mutata

tata non esse, & porrò singularem rei istius causam fuisse, minimè negamus: Ex eo tamen id consequi, quod vult Smiglecius, pernegamus, *nimirum, Petro non illud quod reliquis, sed quiddam singulare promissum fuisse.* cum non solùm longè alia hujus rei causa dari possit, sed etiam ea, quam affert Smiglecius, falsissima sit. Ac illud quidem ideo, quòd Christus Petrum, in fundãda Ecclesia, reliquis Apostolis præire voluit, quippe quem eam ad rem aptissimum, utpote illis ferventiorẽ promptioremque esse videret, ut ex aliquot illius tùm sermonibus, tùm factis, quibus præ aliis clarebat, perspicuum est. Nam & hoc ipso in loco, quamvis omnes a Domino interrogarentur, quem sese esse putarent, solus tamen Petrus prosiliit, reliquorumque nomine ad interrogatum respondit. Quod idem & Ioan: 6. 68. scriptum legimus. Præviisse autem Petrum reliquis Apostolis, ex actis illorum clarissimè patet. Nam & cùm alius in Iudæ proditoris locum sufficiendus esset, Petrum surrexisse, reliquosque ea de re allocutum fuisse legimus: & postea sæpissimè, quamvis alii Apostoli adessent, solum tamen Petrum ad populum, orationes habuisse compertum est.

Mat. 16. 16.

Act: 1. 15.
Ibid: cap: 2. 14, 38. & 3. 6. 12. & 4 8. & 5. 3, 9.

Hæc eadem in nodi dissolutione dixeramus, sed Smiglecius, suo more, iis dissimulatis, hoc unum arripit, quòd Petrum *primum in ordine numeramus, talemque ordinem inter Apostolos constitutum minimè fuisse, ex ipsa eorum promiscua enumeratione patere ait.* Respondeo, fieri posse, ut quamvis certus ordo hominum quorundam constitutus sit, non omnes tamen vel illum observare curent, vel perpetuâ memoriâ custodiant, satisque habeant, dum aliud agunt, eum primò commemorare, qui semper primus in ordine illo est, ut facilè appareat, nihil prohibere, quo minùs is primus dicatur, quamvis reliquorum numerus jam hoc jam illo modo percenseatur. Verùm ut ut sit, nunquam tamen Smiglecius hinc efficiet, Petrum ita primum nominari, ut princeps caputque aliorum esset. Neque enim ita scriptura explicanda est, ut ipsi adversemur. Quod quidem crimen, hoc Petro Apostolo assignando, Smiglecius nequaquam effugiet. Nam præterquam quòd altissimum hac de re in scriptura silentium est (quæ maximi momenti res, non solùm minimè reticere, sed sæpissimè etiam inculcare solet) etiam ex multis rebus a Petro gestis, & reliquorum Apostolorum ecclesiæque actionibus, hoc, quod dicimus, planissimè constat. Quod enim ad ea, quæ Petrus gessit, attinet, constat, eum hunc honorem non solùm sibi non assumpsisse, sed etiam ita vitam suam instituisse, ut primatus istius ne tenuissimum quidem vestigium in omnibus actionibus

Mat: 10. 2.

ipsius apparuerit. Quòd si tantus ad illum principatus delatus fuisset, certè nec verbis nec factis id dissimulâsset, quemadmodum nec Apostolum sese esse reticuit. Ex ipsius porrò factis, non solùm principatum istum minimè colligi, sed rem etiam contrariam facilè constitui, ex eo patet, quod tantum abest, ut alios omnes a se uno pendere postulaverit, ut & ab aliis se reprehendi passus fuerit, & cur in Cornelii ædes intrâsset, illis, qui hac de re, tanquam impia, cum eo expostulabant, rationem modestissimè reddiderit: quod certè in illum, qui reliquorum caput est, nequaquam cadit. Si dixeris, Petrum, quamvis in omnes principatum teneret, tamen ut modestiæ consuleret, aliisque quantumvis magnis in ecclesia viris, Christianæ demissionis exemplo esset, ita se gessisse? Respondemus, modestiam Christianam, ut & aliæ virtutes omnes, mediocritate quadam moderatam esse, & nequaquam eo usque progredi, ut homines ad personæ sibi impositæ, & sic officii inficiationem impellat. Potuit quippe Petrus modestiæ lumen omnibus præferre, absque ulla muneris sui dissimulatione. Quo pacto & Paulus per summam animi submissionem, *sese Apostolatu indignum esse dicit:* Interim tamen Apostolum sese esse minimè negat, sed summæ Dei gratiæ hanc dignitatem suam attribuit, hocque nomine summoperè gloriatur. Quid autem de Christo Domino nostro dicam? qui humilitatis modestiæque exemplar perfectissimum cum esset, regem tamen populi Dei sive Christum sese esse, inficiatus nequaquam fuit. Hoc idem planè & de Petro statuendum est, eum nimirum, si ordinis ac modi, in ecclesia conservandi causâ, ejusdem caput aspectabile constitutus fuisset, nequaquam tantam rem absque scelere dissimulare potuisse. Præpostera enim ista perversaque modestia est, quæ ordinem perturbat, obedientiam tanto principi debitam exterminat, confusionem inducit, & totum ecclesiæ statum convellit. Quod cum absurdissimum sit, sequitur, Petrum fidelissimum Christi administrum, non modestiæ, sed veritatis causâ, nunquam sibi titulum istum vendicâsse.

Act:11.4,5.

2.Cor:15.9,10.

Iam non multum laborandum est, ut eum nunquam ecclesiæ caput a reliquis agnitum fuisse ostendamus: cùm, ut paulò antè diximus, & reprehensum illum ab eis, & a Paulo Apostolo graviter accusatum fuisse, scriptum legamus, & idem Paulus neque a Petro, neque ab aliis quicquam sibi accessisse, imò se ipsis æqualem esse asserat, quòd, *quemadmodum Petro Evangelium circumcisionis, ita sibi Evangelium præputii concreditum esset.* Quanto igitur scelere, tùm Apostolos, tùm omnes illos Christianos sese adstrinxisse putabimus, qui Petrum caput suum minimè agnoverint.

Altera Smiglecii ratio est: *quòd Christus singularem Petri excellentiam, hoc in loco commemorare voluerit, in præmium ejus confessionis, qua ipse præ aliis Christum confessus est. Quod si communi cum aliis ratione Petra esset, non esset ea singularis Petri excellentia.* Nos verò consecutionem istam in nodi dissolutione negaveramus, satisque ad Petri præ aliis excellentiam esse dixeramus, quòd eum Christus illis in fundanda ecclesia, præire, idemque his verbis, ad illum solum directis, ostendere voluit.

Tertia ratio est: *quòd singularis fuerit Petri confessio, & ideò singulare quid Petro a Christo redditum, quod cum aliis commune non esset.* Respondemus, hanc rationem falsissimam esse, singularem enim Petri confessionem minimè fuisse, ex eo patet, quòd ut Christus omnes interrogat, ita Petrus omnium nomine respondet: utpote eorum personam sustinens. Quod etiam hinc magis apparet, quòd Dominus Petri responsione contentus, nequaquam ab unoquoque seorsim hac de re quærit. Sed enim Smiglecius Petri confessionem ideo singularem dicere videtur, *quòd reliqui Apostoli tunc deliberaverint, quid respondendum esset.* Verùm hoc frivolum ridiculumque est, cum nec istud ex hoc loco appareat, nec deliberatione opus fuerit, cùm & quæstio illis mota esset facillima, & tàm Iesum esse Christum sciebant, quàm Petrus: nec denique adeò iniquè Christum benignissimum cum illis egisse, credibile est, ut, quia non statim simulque cum Petro id proloqui, aut eum antevertere potuerunt, mox tam gravi pœna, tanti nimirum præmii privatione, eos afficeret. Verùm sic ineptire eos oportet, qui sibi pro ineptiis pugnandum putant.

Sed jam quarto loco audiamus, quid causæ afferat Smiglecius, cur Petrum reliquorum nomine respondisse minimè credendum sit. Dicit igitur: *Non hanc causam Petri confessionis Christus assignat, quod id ei vel alii demandaverint, vel quod aliorum animum & voluntatem sciens, id muneris sibi sponte assumpserit, sed quia illi pater cœlestis tunc revelaverat.* Hîc primò animadvertendum est, Smiglecium de suo addere particulam *tunc*, ut ex loco isto Pauli, post ab ipso citato, apparet. Deinde cum exploratissimum sit, etiam reliquos Apostolos, Iesum esse Christum, optimè scivisse, quâ fronte hîc Smiglecius soli Petro id patefactum esse asserit? aut quæ stultitia est existimare, reliquos Apostolos absque divina patefactione id habuisse, quod Petrus habere non potuit? Quibus quidem objectionibus frustra tentat Smiglecius occurrere, cum ait: *Etsi enim alii quoque Apostoli scirent, Christum esse Filium*

Dei, tamen cum, quid potissimùm Christo responderent, secum reputarent, Petrus impulsus spiritu sancto, ante alios prosiliit, & quid ipse de Christo sentiret, magnificè confessus est. Hæc insulsissimè a Smiglecio dici, partim jam ostendimus, partim ex eo liquet, quòd nequaquam propositum illi erat, probare, *Petrum divini spiritus impulsu ante alios prosiliisse: sed, soli Petro, Iesum esse Christum, a Patre cælesti revelatum fuisse.* Hoc quippe ad rem propositam facit, illud minimè. Adde, quòd ex hoc loco minimè apparet, Petrum singulari spiritus sancti impulsu, reliquos antevertisse: nec adeò illo opus fuit, ad rem probè cognitam ante alios pronunciandam, cùm satis sit, quempiam reliquis esse ad eloquendum paratiorem. Constat igitur, Smiglecium, ista proferendo, ne hilum quidem proficere, verissimumque esse, quod asserimus, Petrum nimirum, Iesum esse Christum, confitendo, reliquorum Apostolorum personam sustinuisse, ut & Ioan: 6. 68. ubi Christo omnes universè interroganti, num & ipsi, ut Capernaitæ, discedere vellent, idem Petrus pro omnibus respondit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.*

At, inquit Smiglecius: *Magnum est inter hanc confessionem, & inter illam Ioan: 6. discrimen. Nam apud Ioannem plurali numero omnium nomine Christum confitetur: nos, inquit, credimus & cognovimus. hic verò alios non commemorat, sed singularem Patris cælestis revelationem secutus, Christum pronunciat Filium Dei vivi.* Respondemus, Smiglecium nihil agere: cum, quamvis Mat: 16. numerus pluralis non exprimatur, subaudiendum tamen eum esse, & Christi ad omnes directa interrogatio convincat: & ex eo idem patet, quòd, cum omnes interrogâsset, unica Petri responsione contentus fuit. Clarissimè autem hoc ex illis Lucæ verbis perspicitur, quibus eandem rem describens, Christum Petrumque sic loquentes inducit: *Dixit autem eis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens autem Petrus, dixit: Christum illum Dei.* Quis hîc, nisi cæcus, non videat, ipsam verborum constructionem omninò postulare, ut pluralis numerus subaudiatur, perindeq; esse, ac si hunc in modum evangelista locutus fuisset: *vos verò quem me esse dicitis? Respondit Petrus: nos dicimus te esse Christum illum Dei.* Si igitur evangelista singularem ad solumque Petrum spectantem confessionem commemorare voluisset, certè longè aliter Petrum loquentem induxisset, nimirum ita, ut nullus locus esset, pluralis numeri subaudiendi, aut de aliis quoque sermonem esse suspicandi: sed usus fuisset his aut similibus verbis: *Ego*

Lucæ. 9. 20.

bis: *Ego pro mea parte dico, te esse Christum illum Dei.* Quod cùm non solùm hîc, sed etiam apud Matthæum Marcumque minimè fieri videamus, & interim Evangelistæ inter sese tantis de rebus dissentire non possint, salva permanet nostra sententia, de plurali numero subaudiendo.

At, inquit Smiglecius: *solum Petrum Christus, ob eam confessionem beatum prædicat.* Nos verò id per negamus, cùm nec Christus particulâ *solus*, aut *soli*, in toto verborum contextu utatur: nec, ut jam ostendimus, confessio ista solius Petri, sed & reliquorum Apostolorum fuerit: nec porrò ulla causa sit, cur Christus eos ab eadem beatitudine excludere voluerit. Quòd verò Petrum potiùs, quàm reliquos alloquitur, in promptu causa est; Quia nimirum tùm Petrus pro illis respondit, tùm quia ipsius nomen, ad rem, quam Christus parabat, accõmodatissimum fuit, ideo sine dubio illi impositum, quòd reliquis in ejusdem muneris officio præiturus erat. Corruant igitur omnia necesse est, quæ subjungit Smiglecius: Nimirum, *Soli Petro dictum esse: super hanc Petram, ædificabo ecclesiam meam: & soli Petro promitti claves regni cælorum, & potestatem ligandi atque solvendi:* cùm, ut dictum est, Dominus isto vocabulo *solus*, vel *soli*, non utatur, longeque aliam causam esse demonstraverimus, cur omnia ista sua verba ad Petrum potiùs, quàm ad alios dirigat. Intelligendum præterea est, Petrum non solùm ipsius rei, sed nominis etiam ratione habita, reliquorum personam sustinuisse, ita ut eo nominato, omnes simul nominari statueretur. Quod quidem haud absurdè a nobis dici, præter ea, quæ jam diximus, ex eo perspicitur, quòd Paulus asserens, Petro creditum fuisse Evangelium circumcisionis, non solum Petrum, sed reliquos etiam Apostolos apud Iudæos Evangelium prædicantes sine dubio intellexit, quippe quibus non minùs quàm Petro, ea persona imposita esset. Gal. 2. 7, 8.

Sed jam tandem videamus, qua in re Petri propriam dignitatem Smiglecius constitutam existimet. Dicit igitur: *Christum eam suis verbis indicâsse. Quemadmodum enim*, inquit, *ecclesiam usque ad finem mundi duraturam, & contra quam nullo unquam tempore portæ inferni prævalerent, ædificare suprà Petrum promittebat: ita & Petrum perpetuum ecclesiæ suæ fundamentum, ad finem usque mundi, in successoribus suis duraturum, assignabat. In quo magnum discrimen inter Petrum aliosque Apostolos apparet. Nam illi fundârunt suo tempore ecclesiam, ut eis nullus in cura & administratione universalis ecclesiæ succederet. Solus*

Petrus,

Petrus id privilegium a Christo obtinuit, ut non solùm, dum viveret, sed & toto ad finem usque mundi tempore consequenti, in suis successoribus, fundamentum ecclesiæ esset, contra quod nullæ unquam inferorum portæ prævalerent. Hæc Smiglecius. Nos verò respondemus, ista omnia erroris plenissima falsaque esse. Vbi enim & quando Christus promisit, ecclesiam ad finem usque mundi duraturam esse? Inferni enim portas eam superare non posse, minimè eam vim habere, & suprà ostendimus, & paulò post evidentiùs demonstrabimus. Item: ubi Petrum perpetuum ecclesiæ fundamentum, in suis successoribus futurum, Christus assignavit? Vbi deniq; scriptum extat, vel, qua ratione probari potest, Petrum in suo munere successores habere, reliquos Apostolos non item? Sat scio, Smiglecium istorum nullum probare posse. Quæ igitur impudentia audaciaque est, inania ista somnia nobis per vim obtrudere velle, quos ipse benè novit, non somniis, non humani cerebri figmentis, sed veritate, sed scripturæ testimoniis, perpetuò in rebus divinis niti? Eat igitur, & illis has nugas venditet, quos fabulæ inanesque tricæ delectant, apud nos certè nullum locum invenient.

Atqui, inquit Smiglecius, *ita esse res ipsa loquitur. Nullus enim unquam extitit Apostolorum successor, quem ecclesia suum universalem pastorem, præter Petri successorem Romanum pontificem, agnosceret.* Hoc est, quod autor voluit, id nimirum agit, ut suum papam nobis pro Petri successore obtrudat. Sed longè fallitur. Primò enim cum ait: *Nullus unquam extitit Apostolorum successor, præter Petri successorem*, præsupponit id, quod est in controversia, nempe Petrum unquam successorem aliquem habuisse, ideoque principium petit. Similem fallaciam & illud continet, cum dicit: *Ecclesiam, Pontificem Romanum pro Petri successore, proque suo universali pastore agnoscere.* Nam & Romanam cohortem veram ecclesiam esse, nemo credit, præter ipsos Romanenses: & Papam Petri successorem minimè esse, tùm rei istius, ut sic dixerim, impossibilitas, tùm doctrinæ morumque dissimilitudo convincit. Impossibile autem esse, ut Petro quispiam, ipsius muneris ratione habita, succedat, ex eo intelligitur, quòd Petrus, ut & alii Apostoli, ecclesiæ fundamentum fuit, quia nimirum a Christo, Dei domicilium ædificante, unà cum reliquis Apostolis primò positus fuit, id est, primò salutaris veritatis notitiâ instructus, ut per eum alios que Apostolos, omnes homines cælesti doctrina illuminaret, sibique adjungeret, & porrò suprà illos, id est, illorum doctrinam, quasi suprà fundamentum aliquod construeret. Ex quo apparet, fieri non posse, ut Petrus aliquem in hoc

suo

ſuo munere ſucceſſorem habeat. Apertè enim repugnat, fundamentum eſſe, & ejusdem fundamenti ratione, ſucceſſorem exiſtere. Cum namque fundamentum eſſe, ſit, in illis primis eccleſiæ fundatoribus numerari primoque a Chriſto poni: ſucceſſorem verò agere, nequaquam ex illis primis eſſe, ſed eos ſequi ſignificet, quis non videt, hæc inter ſe contraria eſſe?

Hîc verò dicit Smiglecius, *Volkelium ipſum non intelligere, quid loquatur.* At efficiemus, ut omnes intelligant, hoc potiùs in Smiglecium quàm in Volkelium dicendum eſſe. Ait enim: *Si, eſſe fundamentum eccleſiæ, eſt, eſſe paſtorem ejus univerſalem, minimè repugnat, in ratione fundamenti habere ſucceſſorem: ſicut minimè repugnat, paſtorem ordinarium in ſuo officio habere ſucceſſorem.* Satisné autem hîc Smiglecius intelligit, quid ipſe dicat? Quis enim unquam, ſana mente præditus, fundamentum univerſalem paſtorem deſignare dixit, cum nec vocis Etymologia nec ipſa fundamenti ratio, iſtam ſignificationem admittat: nec ipſe Petrus, univerſalis eccleſiæ paſtor unquam fuerit, licet fundamenti nomen habuerit. Nam præterquam quod contra eſſe, ſuprà tùm ſcripturæ ſilentio, tùm ipſius Petri rebus geſtis, tùm aliorum actionibus, oſtendimus, etiam alios Apoſtolos, imò & prophetas, fundamentum appellari conſtat. Ergoné iſti omnes univerſales Eccleſiæ paſtores fuêre? Non credet hoc, opinor, ipſe Smiglecius, agitur enim de Petri, vel potius Papæ prærogativa. Faceſſat igitur cum ſua fundamenti explicatione, quidque dicat, intelligere diſcat.

Dicit præterea Smiglecius: *Nulla eccleſia, in alio, quàm in Petro fundata, hoc privilegium reipſa habet, habuitque unquam, quòd portæ inferni non prævaleant eam.* Reſpondeo, nos hoc facilè conceſſuros, ſi, & quæ ſint portæ inferni, intelligatur, & Smiglecius Petrum nominando, ſimul & alios Apoſtolos comprehendat, verbaque, *in alio, quàm in Petro*, non ad reliquos Apoſtolos prophetasque, ſed eos excludendos uſurpet, qui nec Apoſtoli, nec prophetæ illi ſunt. Si verò unum Petrum, cæteris Apoſtolis excluſis, intelligit, longè fallitur, cum jam ſatis a nobis demonſtratum ſit, omnes Apoſtolos, ejusdem doctrinæ Chriſti, quam primi prædicârunt, ratione, fundamentum dici. Ex quo fit, ut idem privilegium, tàm iis qui in aliis, quàm qui in Petro ædificati ſunt, conceſſum ſit: cùm negari non poſſit, *in Petro fundari*, nihil aliud eſſe, quàm in ipſius doctrina ædificari. Quam eandem cùm & reliqui Apoſtoli prædicârint, quo pacto, quæſo, aut quo jure, qui eos ſequuntur, privilegio iſto privâtur? Verùm cùm Smiglecius per Eccleſiam in nul-

lo alio quàm in Petro fundatam, non nisi Romanam intelligat, ut ex tota verborum ipsius periodo patet, etiam atque etiam videat, ne dum in aliis Apostolis ædificari recusat, & Petrum simul amittat. Cùm enim aliorum Apostolorum doctrina eadem sit cum doctrina Petri, consequens omninò est, eos qui super illos, doctrinæ ratione, non ædificantur, nec in Petro ædificari. Et quidem si in Romanensium doctrinam intuearis, facilè comperies, eos a Petri, & sic aliorum Apostolorum etiam doctrina planè defecisse, & porrò non in Petro, sed homine peccati filioque perditionis extructos esse, qui permissu Dei, de veritatis hostibus supplicium sumentis, in ipsius templo, tanquam Deus sedet, seque Deum esse ostentat, super omne quod vocatur Deus aut numen, sese efferens, per cujus revelationem seu comparitionem, defectionem a fide Christiana factam fuisse, idque non ita diu post Apostolos, quilibet, omnia Pauli hac de re verba studiosè & absque præjudicata opinione legens, facilè intelliget.

2. Thes. 2. 3. 4.

Atqui ait Smiglecius: *Res ipsa loquitur, solam Romanam ecclesiam privilegium istud habere, quòd eam portæ inferni non prævaleant. Omnes enim dæmones, hæretici, Iudæi, pagani, per hos mille sexcentos annos, etiamsi maximè ecclesiam Romanam oppugnaverint, movere tamen eam loco non potuerunt.* Respondemus, hîc aliquot modis principium peti. Primò, quòd Smiglecius dicit, dæmones Romanam ecclesiam non superâsse. Hoc enim tunc verum esse constabit, cùm sese nullam talem doctrinam, quæ salutem tollat, sequi ostenderint. An verò tales non sint, cultus imaginum, panis adoratio, & alia hujus generis, cordati judicent.

Deinde probandum erat Smiglecio, *per inferni portas*, hæreticos, Iudæos, & Paganos, ecclesiam Romanam oppugnantes, intelligi debere, quod quidem nunquam faciet: cùm nec infernus, nec ejus portæ, quamvis sæpissimè in scriptura commemorentur, usquam tamen aut dæmones, aliquid vel aliquem impugnantes aut superantes, significent.

Præterea probandum fuit, illos, quos inter hæreticos nominat, hæreticos revera fuisse, & ecclesiam Romanam nullo planè loco movisse. Nos quidem contra esse videmus, cùm non solùm in multis regionibus nullum amplius vestigium Romanæ ecclesiæ appareat, sed quotidiè magis ac magis ipsius errores detegantur, maximaque spes sit, brevi illud completum iri, quod divinus ille Ioannes in apocalypsi de decem illis cornibus prædixit, (quæ decem reges significare, angelus

Apocal. 17. 16.

ibidem

ibidem asserit) nimirum eos, quanquam antea potestatem suam bestiæ tradiderant. contraque agnum pugnaverant, postea tamen eandem odio habituros esse, eamque desertam ac nudam derelicturos.

Ad extremum, demus, omnes a Smiglecio enumeratos, nulla planè ratione, ecclesiam Romanam expugnare potuisse, num protinus consequens fuerit, eam in Petro fundatam privilegioque isto ornatam esse, ut portæ inferni adversus eam non prævaleant? Nequaquam verò, cùm justum Dei judicium ita ferat, ut, quia isti veritati repugnârunt, per longum tempus mendaciis pascantur, tam diuque unà cum suo duce, homine nimirum peccati, durent ac floreant, dum numerus bestiæ finiatur, Dominusq; tandem spiritu oris sui interficiat impium. Apoc:13.17.18. 2.Thess:2.8.

Sed jam tandem Christi verba, toties memorata, consideranda sunt, ut intelligamus, quid sit, *ecclesiam ab orci portis non superari.* Dixeram autem in nodi dissolutione, hoc non illud esse, quod Smiglecio videtur, nimirum, externa carnalique claritate, hominum errantium multitudine, Paparum, Episcoporum, Iesuitarumque titulis ac pompa, aliisque his similibus per longum tempus florere, & fundos, quos spirituales vocant, tenere: cùm potiùs hæc ipsa maximo argumento sint, ecclesiam, quæ in istis rebus gloriatur, jam ab inferni portis superatam esse. Hæc enim illa lata & spaciosa via est, quæ ad infernum, seu, ut Christus loquitur, ad perniciem ducit, perque quam multi ambulant. Mat:7.13. Intelligendum autem est, veram Christi ecclesiam, *ab orci portis non superari*, nihil aliud esse, quàm eos, qui Christo confidunt, eique obediunt, in mortuorum statu, qui infernus est, nequaquam mansuros, ut supra uberiùs ostendimus, sed tandem ex mortis faucibus ereptos, æternùm victuros. Hîc judicet lector, an Smiglecius vel mea verba, vel saltem eorum sensum hîc adduxerit, ut quantum in istis disputatoribus ponendum sit, intelligat. Sed ad rem. Dicit Smiglecius: *At his prætermissis, aio, Christum clarissimè affirmare, tam stabile & firmum, hoc ecclesiæ ædificium, supra Petrum futurum in terra, ut nullæ vires inferni illud labefactare possint.* Respondemus autem, tantum abesse, ut Christus, clarissimè hæc, quæ ipsi Smiglecius affingit, dixerit, ut potiùs magnam cum ipsius verbis dissimilitudinem habeant. Christi enim verba ut alia sunt, ita & alium sensum continent, illos nimirum, qui Petri doctrinam habent exque ea vitam componunt, id est, Christo confidunt atque obediunt, in mortuorum statu nequaquam mansuros: ut & alibi Christus in eandem sententiam loquitur: *Qui credit in me*, inquit, *etiamsi mortuus fuerit, vivet: & quisquis vivit, & credit in me, non morietur* Ioan:11.25.26.

in æternum. Eos enim, qui in Christum credunt, eique obediunt, Christi ecclesiam esse, quis dubitet? At verò Smiglecii verba, longè aliam eamque cum scripturæ analogia minimè convenientem sententiam continent: nimirum, ecclesiam hîc, Christo promittente, semper in terris duraturam, nullis artibus machinisque Diaboli subverti posse. Id quod nec Christus dicit, nec cum multis aliis scripturæ locis, præsertim autem cum illo Pauli testimonio convenit, quo Antichristi (per quem defectio a veritate facta est) adventum ex Sathanæ efficacitate cum omnipotentia futurum, & signis ac prodigiis mendacibus, &c. ait. Quid, quòd suprà satis demonstratum est, posse homines fideles, ex quibus ecclesia constat, veritatem acceptam abjicere, utpote libero arbitrio præditos.

2. Tess. 2.

Verùm audiamus, qua ratione Smiglecius suam sententiam fulciat. *Non enim*, inquit, *in altero mundo, sed in præsenti, supra Petrum se ecclesiam ædificaturum pollicebatur. In hoc igitur & non in altero mundo, portas inferni eam non prævalituras asserebat.* Verùm hanc consecutionem pessimè constitutam esse, ex eo patet, quòd ædificare super Petrum aliosque Apostolos, significat, homines per eorundem doctrinam illuminare, eoque perducere, ut in ipsum Christum credant, eidemque obediant. Ab inferni verò portis non superari, præmium vitæ æternæ talibus paratũ, continet. Nequaquam autem necesse esse, ut, quemadmodum in terra Christo confidimus atque obtemperamus, ita & in terris vitam æternam consequamur, omnes intelligunt.

Caput XIX.

Octavæ demonstrationis examen de verbi Dei Ministerio.

Ministri legitimi sunt veri verbi Dei ministri.
Ministri Evangelici, non sunt veri verbi Dei ministri.
Non sunt igitur legitimi Ministri.

Hujus argumenti assumptionem in nodi dissolutione negaveramus, ejusdemque probationem a Smiglecio tentatam, vanissimam esse ostenderamus, quæ ab ipso his verbis comprehensa erat: *Evangelici enim verbum Dei partim reiiciunt, dum nimirum verbum non scriptum admittere nolunt: partim pravis interpretationibus corrumpunt.* Nos responderamus, primò, nequaquam consequens esse, protinus cum veri ver-

ri verbi Dei ministrum non esse, qui verbum non scriptum rejicit, cùm verbum illud non scriptum, Dei verbum minimè esse, jam a multis doctissimis viris, a nobisque ipsis abundè in aliis libris demonstratum sit. Hîc verò Smiglecius imperitissimè verba nostra distinguit, quasi non apertissimè, quo sensu a nobis dicta fuerint, declaraverimus. Dixeramus autem, nos nequaquam tam ineptos esse, ut, quia aliquid scriptum non est, ideo illud pro verbo Dei minimè habendum statuamus, aut verbum Dei, non a Deo, sed a scripturis & membranis suam autoritatem habere existimemus: Tàm enim scimus, quàm Smiglecius, fuisse tempus, cum ecclesia Dei, verbo, partim ore prolato, partim scripto, & fundaretur, & viveret. Hodierno autem tempore asserimus, idque non paucis etiam patribus adstipulantibus, non nisi scripto verbo nitendum esse, cùm, quæ olim a Christo Apostolisque jam ore, jam scripto apud homines proposita fuêre, ea omnia, quatenus ad sempiternam salutem attinet, postea literis consignata fuerint: nec ulla ratione demonstrari possit, fuisse aliquod Dei verbum non scriptum, ab Apostolis de manu in manus ecclesiæ traditum, in quo omnis posteritas in perpetuum obligaretur. Hîc quemlibet videre arbitror, nulla opus fuisse distinctione. Nisi hoc etiam stultiùs est, quòd ipsius distinctio sententiam nostram apertissimè positam, non comprehendit, sed loco illius ea nobis affingitur assertio, quam nec agnoscimus, nec ex pronunciato, quod distinguendum Smiglecius suscepit, ulla ratione fluit. Pronunciatum illud his verbis continetur. Ait Volkelius: *verbum non scriptum verbum Dei minimè esse.* Ex his verbis hujusmodi Smiglecius distinctionem extruxit: *Aut existimat Volkelius, verbum Dei, nisi scribatur, verbum Dei non esse: aut intelligit, verbum non scriptum, esse quidem verbum Dei, non esse tamen ad salutem necessarium.* Hîc ostendat Smiglecius, quomodo stante illo Volkelii pronunciato, quo verbum non scriptum, verbum Dei esse negat, hæc posterior distinctionis pars locum habere possit: cùm, qui negat, verbum non scriptum, verbum Dei esse, is, nisi sibi turpissimè adversari velit, nequaquam dicere possit, verbum non scriptum, esse quidem verbum Dei &c. Quid, quòd & hoc nomine distinctio ista vitiosa est, quòd ea verba Smiglecius admiscet, quæ cum re, quam parat, nihil conjunctum habent, cum ait: *non esse tamen ad salutem necessarium.* Quasi hîc distinguendum sit, inter verbum Dei necessarium & non necessarium, & non potiùs inter illud, quod verbum Dei est, & inter illud, quod verbum Dei non est. Adde, quòd hîc mihi affingit vocabulum Dei, quod non apposueram,

quasi dixerim: verbum Dei non scriptum, verbum Dei minimè esse; ut nimirum miseram suam distinctionem aliqua saltem ex parte fulciat. Verùm non solùm nihil agit, sed turpiùs etiam sese dat, ea dicendo, quæ vera non sunt.

Arripuit tamen Smiglecius unam responsionis nostræ partem, reliquis omnibus suo more præteritis, quæ erat: *nulla ratione demonstrari posse, fuisse aliquod Dei verbum non scriptum de manu in manum ecclesiæ traditum, quo omnis posteritas in perpetuum obligaretur.* Respondet Smiglecius, *ea id fide ac certitudine constare, qua constat evangelium & scripturas, quas habemus, esse veras, non supposititicias. Vt enim,* inquit *scripta Apostolica nobis de manu in manum ab Apostolis tradita sunt, ita & doctrina Apostolica, quam viva voce absque scripto docuerunt, eadem ratione ad nos propagata est. Et sicut traditionem illam libenter amplectimur, qua nobis testificantur, ista quatuor esse vera Evangelia, istas, & non alias, esse genuinas Apostolorum epistolas (id enim non aliunde, quam ex sola traditione compertum haberi potest) cur eadem traditio in aliis quoque rebus vel non scriptis, vel non expressè scriptis, eandem apud nos autoritatem non retineant?* Respondeo, Smiglecium hîc ea petere, quæ in disquisitione posita sunt. Primò enim probandum erat, eadem fide certitudineque aliquod non scriptum verbum ab Apostolis nobis de manu in manum traditum esse, quâ constat, scripturas ad nos transmissas esse. Nos enim negamus, tàm non scriptum, quàm scriptum Dei verbum ecclesiæ ab Apostolis traditum esse: cùm nec ullam ejus rei verisimilitudinem videamus, quin imò id falsissimum esse, in aliis scriptis nostris abundè demonstraverimus. Deinde cum asserit, *utriusque verbi traditioni parem autoritatem tribuendam esse, quod utraque traditio a fidelibus profecta sit.* Respondeo, priùs probandum fuisse, fideles illos, ex quibus primæva ecclesia constabat, aliquas traditiones, extra scripta Apostolica, posteritati tradidisse, quàm parem autoritatem utrique traditioni tribuendam esse affirmaretur. Atqui, inquit Smiglecius: *apertè Paulus Apostolus verbum Dei non scriptum, sed traditum, observandum præcipit: tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam. Non igitur omnia, quæ ad salutem consequendam observanda sunt, scripto Dei verbo continentur. Quòd si fideles illa, quæ sine scripto ab Apostolis acceperant, observare tenebantur, cur eorum successores eadem lege non adstringantur?* Respondeo, eos ideo lege ista minimè adstringi: quia illis nunquam fuit lata aut impositа. Cùm aliud sit, Apostolos multa, suo tempore, ore protulisse:

2. Thes. 2. 14.

aliud

aliud, eos quasdam traditiones ecclesiæ de manu in manum tradidisse, ut perpetuò custodirentur, sanctasq; literas nunquam sine illis sufficientem salutis nostræ rationem continere, existimaretur. Hoc igitur alterum planum faciat Smiglecius, & vincet.

Pergit Smiglecius, hunc*q*ue in modum loquitur: *Iam verò, quo tandem scripturæ fundamento Volkelius pronunciat, omne Dei verbum, ad salutem necessarium, scriptum & literis consignatum esse, quod verò scriptum non sit, ad salutem necessarium non esse: quibus, obsecro, scripturæ testimoniis id evincet?* Respondet Volkelius, se quidem his verbis usum non fuisse, ignoscere tamen Smiglecio, cùm non verba, sed rem ipsam spectet. Fallitur autem Smiglecius, si aliter sentit: cùm compertissimum sit, omnia ad salutem consequendam necessariam sacris literis contineri. Quo porrò scripturæ fundamento, istud asserendo, nitatur, satis in nodi dissolutione ostendit: nimirum, quòd sacræ literæ ea contineant, quæ si quis habet, nihil illi ad rerum salutarium perfectam noticiam salutisq*ue* sempiternæ adeptionem deesse possit, nimirum, fidem & obedientiam Deo Christoq*ue* debitam, seu, quod planè idem est, fidem vivam, seu fiduciam Deo per Christum adhibitam. In hac enim salutis æternæ summam consistere, universæ scripturæ, maximèautem novę, tenor testificatur. Quis enim negare posset, eum, qui Deo placet, ab ipsoq*ue* pro justo habetur, in eo statu versari, ut sempiternam felicitatem adipisci possit. Fide autem viva, & olim homines Deo placuisse, justificatosq*ue* fuisse, & nunc sub Christo multò magis id fieri, nemo, nisi rerum divinarum planè rudis, ignorare potest. Vt enim olim Habacuc, justum sua fide vivere, dixerat: ita & hodie evenire, hoc ipso testimonio Paulus comprobat. Adde, quòd tùm Christus, tùm Apostoli horumq*ue* socii, quorum officium erat, hominibus viam ad salutem monstrare, potissimùm illis autores fuêre, ut crederent, Iesum esse Christum, inq; illo fiduciam locatam haberent.

Habac: 2.4.

Ioan: 6.29, 35.40, & 3.15.18.

Quid, quòd & illi, qui Apostolorum doctrinam amplexi fuerant, ut plurimùm fideles, seu in Christum credentes, a divinis scriptoribus appellantur. Ex quo consequitur, fidem istam, de qua loquimur, ad vitam æternam consequendam satis esse, ut Act: 16.3. Rom: 10. v. 10. scriptum legimus. Quam in sententiam & Petrus, salutem animarum fidei nostræ finem seu scopum esse, asserit. Cùm autem fides hæc ex scripturis sanctis haberi possit, quippe quæ totam ipsius tùm efficientem, tùm formalem causam complectantur, parumné liquet, scripturam sanctam ad salutem sufficere? Ac causam quidem efficientem, seu eam ex

Acto: 8.37. & 9.22. & 13.39. & 16.31. & 20.21.

Rom: 10.10.

1. Petr: 1.9.

eam ex quibus fides nascitur, in scripturis contineri, ex eo patet, quòd & Christi sanctitas, & miracula, & mors, & resurrectio, & exaltatio, & denique spiritus sancti effusio, uberrimè in illis explicatur. Causam vero formalem, seu obedientiam Christi, sine qua fides viva esse consistere q; non potest, sufficientissimè a divinis autoribus prescribi, palam est, ut facilè appareat, Smiglecium longè falli, qui fidem in Christum rem tam exilem tenuemque existimet, ut tantùm particularem quandam vim habeat ad salutem nobis conferendam, cùm satis pateat, eam adeò prægnantem esse, ut totius religionis Christianæ fundamentum meritò dicatur, quippe quæ totius salutis nostræ summam complectatur. Miror igitur, qua fronte sese isti Theologiæ doctores nominent, qui adeò in re theologica peregrinantur, ut fidei Christo adhibendæ naturam, quidq; de ea omnes sacri scriptores generatim dicant, ignorent. Summæ etiam audaciæ temeritatisque argumentum est, luculentissima Ioannis Apostoli verba ita adulterare, ut præter omnem necessitatem, alienus illis sensus affingatur: nimirum, *ipsius Evangelium salutem afferre, aliis tamen non exclusis.* Item: *non eo sensu illa accipienda esse, ac si solum Ioannis Evangelium credendum sit, & ad salutem sufficiat.* Ioan:20.31.r Apertè enim Ioannes dicit: *Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis, per nomen ejus.* Quo in loco animadvertendum est, Ioannem non simpliciter dicere, sese Christi facta descripsisse: sed simul indicare, quem in scribendo finem scopumq; sibi præfixum habuerit, nimirum, ut homines, Iesum esse Christum, crederent, & credentes vitam æternam haberent. Quem quidem scopum, ut sese assecutum, quantum in ipso fuit, esse doceret, sic loqui voluisse videtur: Multa quidem alia fecit Christus, sed quia omnia literis consignari non possunt, interim verò hæc, quæ a me scribuntur, ad credendum, & sic vitam sempiternam assequendam satis sunt, ideo tanto labore supersedeo. Quod igitur dicit Smiglecius: *non eo sensu Ioannis verba accipienda esse, ac si solum Ioannis Evangelium credendum sit, & ad salutem sufficiat, quorsum enim alia Evangelia & aliorum Apostolorum scripta?* Hæc, inquam, a Smiglecio ambiguè dicuntur. Aut enim hæc ipsius mens est, ut, quia plures, quam unus, Christi factorum testes fuerunt, ideo non uni tantummodo, sed & reliquis credendum esse, statuat. Aut quia Ioannis Evangelium ad credendum, & æternùm vivendum satis minimè sit, idcircò & alia Evangelia, aliorumque Apostolorum scripta edita fuisse existimet. Si prius illud Smiglecius asserit, planè ei assentimur: si verò hoc posterius, nihil a vero alieniùs esse, ex eo con-

eo constat, quòd longè alia ratio dari potest, cur & reliqui Evangelistæ Apostoliq́ue, Christi tùm dicta, tùm facta literis mandârint, quam quia una Ioannis scriptio ad fidem in Christum vitamq́ue consequendam minimè sufficerit: nimirum, eam Dei in genus humanum extitisse benignitatem atq́ue clementiam, ut quæ ad fidem pectoribus nostris insculpendam necessaria erant, abundantissimè, id est, non uno modo, uniusvé hominis testimonio, quantumvis per se sufficienti, sed plurium consensu autoritateq́ue stabiliri voluerit, nempe ut fragilitati nostræ nulla ex parte deesset.

Instat tamen Smiglecius, *& vel inde constare asserit, Ioannem non omnia ad salutem necessaria conscripsisse, quod cænæ Dominicæ institutionem omiserit, cujus tamen usum ad salutem requiri, ipse Christus fassus sit, & evangelici non diffiteantur. Nugari verò, inquit, mihi videtur Volkelius, cùm multa de cæna ultima a Ioanne commemorata esse contendit. Ad nostrum enim propositum hoc solùm facit, quòd, etsi Ioannes alia de cæna scripserit, institutionem tamen Eucharistiæ prætermisit.* Respondemus, longè aliter hîc loqui Smiglecium, quàm in suo Nodo locutus erat. Dixerat enim simpliciter, nulla institutionis facta mentione, *de ultima cæna nihil scripsisse Ioannem.* Nos illum audacter facere responderamus, cum tamen aliquid Ioannem de ultima cæna scripsisse, manifestissimum sit. Quod cùm & ipse hoc loco fateatur, cur omni pudore abstersо, me contendere asserit, Ioannem multa de cæna Domini literis prodidisse: aut quis non videt, ipsum Smiglecium nugari, qui & ea me dicentem facit, quæ non dixi, & eandem rem modò affirmat, modò negat, id est, jam Ioannem nihil, jam pleraque de cæna Domini scripsisse ait? Si porrò, ut hîc dicit, ad nostrum propositum hoc solùm faciebat, quòd Ioannes cænę Dominicæ institutionem prętermisit, cur in suo nodo, id, quod ad rem non pertinebat, afferre non erubuit? Quod verò dicit, *Christum Ioan: 6: fassum esse, cænam ipsius ad salutem necessariam esse,* principium petit, cùm priùs probandum fuerit, Christum eo in loco de ultima cæna loqui, id quod falsum esse, supra demonstravimus.

Sed ad rem. Demus sanè, etiam ipso Ioanne reclamante, ipsius Evangelium ad fidem salutemq́ue satis non fuisse, ideoq́ue & reliquorum Evangelistarum Apostolorumq́ue scripta, Deo procurante, accessisse, quid hoc omne, ad confictas traditiones comprobandas, momenti habet? cùm in omnibus Evangelistarum Apostolorumq́ue scriptis, uberrimè omnia habeantur, quibus sempiterna salutis ratio continetur.

Satis jam, quantum quidem hujus scripti ratio postulat, ostendisse videmur, verbum istud non scriptum, non Dei verbum, sed humanum commentum esse, & sic eum in veris divini verbi ministris haberi jure posse, qui scriptam Christi doctrinam rectè apud populum proponit. Sequitur ut id examinemus, quod Smiglecius ministris nostris secundo loco objecerat, *eos videlicet, verbum Dei scriptum pravis & commenticiis interpretationibus adulterare.* Hîc licet mirari summam Smiglecii audaciam, qui ad ministros nostros pravæ scripturarum interpretationis convincendos, satis esse putet, nudis verbis hoc illis objicere: cùm insuper rem ita se habere, demonstrandum fuerit, idque adductis hujus rei exemplis non paucis, iis præsertim, in quibus ad salutem necessaria continentur. Quod cùm non faciat, quàm veracem sese præbeat hominem, ipse judicet. Testimonium Petri, quo
2. Pet: 1, 20. Prophetias propriæ interpretationis esse negat, ad rem propositam nihil pertinet, sive in eum, quem illi affingit Smiglecius, sive in verum sensum supra a nobis positum accipiatur: cùm hoc in loco nequaquam quæratur, quo sensu scriptura sit explicanda; sed, an nostri ministri scripturam pravis interpretationibus adulterent. Quorsum igitur attinet, ita extra oleas vagari? Nisi fortè illud ad præsentem quæstionem pertinere vult, cum ait: *At enim Evangelicos non propriam interpretationem sequi Volkelius ait: sed eam, quæ ex scripturis ipsis, inter se collatis, intelligitur. Vanissimum sanè effugium. Nunquid enim omnes hæretici id non faciunt, & tamen hæretici sunt, & hæreses suas, ex scripturis inter se collatis, hauriunt?* Hîc primùm respondemus, Volkelium nunquam dixisse, Evangelicos non propriam, sed eam interpretationem sequi, quæ ex collatione scripturæ hauriatur. Si enim de aliis, præter nos, Evangelicis Smiglecius loquitur, nõ planè ausim affirmare, eos vel semper scripturas cum scripturis conferre. Quippe cum multa cum Romanensibus retineant dogmata, quæ ex scripturæ collatione profluere non potuerunt: vel si aliquando scripturæ collatione utuntur, ea mente id eos semper facere, quæ præjudicata opinione non sit excæcata. Tantum tamen eos, sacras literas legendo, profecisse constat, ut salutarem Christi doctrinam teneant, & ideò nequaquam tanto errore implicati sint, ut verum Dei Christique cultum, veram fiduciam obedientiamque exterminent, plus, sine dubio, profecturi, si præjudicatis opinionibus abjectis, diligentiùs in scripturarum cum scripturis collatione versati fuerint. Si verò de nobis loquitur Smiglecius, ostendat sanè, nostros ministros per scripturæ cum scriptura collationem, eandem adul-

adulterâsse: hoc enim maximè quæritur. Tentârunt quidem hactenus multi, nec non ipse Smiglecius, nos hujus criminis convincere: sed frustra eos laborâsse, nostræ responsiones testificantur.

Iam quod Smiglecius dicit: *omnes hæreticos scripturam cum scriptura conferre, & tamen hæreticos esse*, non uno modo labitur. Primò enim principium petit, cùm id ipsum probandum fuerit, potiusque statuendum videtur, nullum hæreticum cum scripturis scripturas conferre, propterea, quòd, qui hoc faciunt, nequaquam iis erroribus implicari possunt, qui hæreticos constituant. Deinde fac omnes hæreticos scripturam cum scriptura conferre (quod tamen falsissimum est) num protinus omnes, qui scripturam conferunt, erunt hæretici? quis hîc non deprehendat manifestam consequentis fallaciam? Quæ præterea hæc est consequentia? *Omnes hæretici scripturam cum scriptura conferunt, & tamen sunt hæretici. Ergo ex scripturæ collatione verus ejusdem sensus hauriri non potest, & porrò non est adhibenda?* Nonné huic similis est? *Omnes Diaboli, ut vulgò existimatur, nôrunt scripturam, & tamen Diaboli sunt. Ergo scripturæ noticia est mala.* Nec illud quicquam soliditatis habet, quod mox subjungit. *Illi verò, quos Petrus multa in Pauli epistolis & cæteris scripturis depravâsse ad suam perditionem dixit, nonné scripturas cum scripturis conferendo, id faciebant?* Hîc enim duo a Smiglecio dicuntur, quæ probare non potest. Nam nec istos scripturam cum scriptura contulisse, ulla ratione patet: nec Petrus alias scripturas, præter Pauli, commemorat, idque non eo sensu, quo vult Smiglecius. In græco enim textu habentur verba, ἐν αἷς, quæ nequaquam ad alicujus epistolas respectum habent, sed ad rem, quam Petrus in toto illo capite explicandam susceperat, & ideò vox τούτων, cui proximè apponuntur, ea refert, quæ tùm Petrus, tùm Paulus *de Christi patientia adventuque disserit.* ut facilè appareat, minimè eos errare, qui ex græco sic legunt: *Domini nostri patientiam salutem ducite, sicut & charus frater noster Paulus, pro sibi data sapientia, scripsit vobis, ut in omnibus ferè epistolis, loquens de istis* (scilicet patientia adventuque) *in quibus* (nimirum de utroque disputatis) *sunt nonnulla difficilia intellectu.* Sed fac, aliquos hæreticos esse, qui scripturæ collatione aburantur, quid, quæso, id ad bonæ rei istius usum tollendum momenti habebit? Hîc verò Smiglecius negat, *verum scripturarum usum esse, scripturam cum scriptura proprio judicio conferre & interpretari. Ille solùm*, inquit, *est verus & genuinus scripturarum usus, scripturas eo, vel ut minimùm, non contrario sensu, quem Apostoli, & Apostolici viri, tanquam a Spiritu sancto*

profectum, nobis per manus tradiderunt, quemque ecclesia Catholica sequitur, interpretari. Respondemus, Smiglecium frustrà desudare, quomodo nos a verbi divini studio, ad fictas Romanensiũ fabulas traducat. Palliat eas Apostolicarum traditionum nomine, quantum velit, nihil tamen proficiet. Primò enim cum sua umbra, ut consuevit, dimicat, cum nemo nostrûm dicat, scripturæ collationem proprio hominum judicio fieri debere, ita nimirum, ut ab hoc illa pendeat: quanquam cùm Deus per scripturas nobiscum agendo, nostro sese captui accommodare voluerit, nequaquam nos ingratos esse, adeoque cum ratione insanire convenit, quin ad eas legendas intelligendasque judicium nostrum, quoad licet, adhibeamus. Qua de re cùm supra plura a nobis disputata sint, supervacaneum est, ea hoc loco repetere. *Deinde quòd illum proprium scripturæ usum esse dicit, quem Apostoli Apostolicique viri per manus ecclesiæ catholicæ tradiderint, quemque ea sequatur,* id nimirum nugarum plenissimum est: cùm nec sensum scripturæ, per manus Apostolicas, extra ipsam scripturã, ecclesiæ traditum fuisse, nec ecclesiam catholicam aliquam in scripturis nominari, nec Romanensem cohortem, veram Christi ecclesiam esse, probare, ulla ratione possit, ut suprà satis demonstravimus.

Nec quicquam Smiglecium juvant illa Christi verba, quibus *Apostolis spiritum sanctum, qui apud eos in æternum maneat, in omnemque veritatem ducat,* promisit: cum supra suo loco, quid ea sibi velint, luculentissimè docuerimus. Ex quo apparet, nequaquam consequens esse, quia scripturæ sensum proprio nostro judicio subiicere minimè debemus, ideò mox ad commenticias vestras traditiones confugiendum esse, cùm etiam Patres, qui traditionum istarum, si unquam extitissent, ignari non fuissent, longè aliam scripturæ explicandæ rationem ostenderint, ut nimirum per testimonia, quæ clarissima inque oculis posita sunt, ea illustrentur, quæ sunt obscuriora. Hieronymus enim ea de re hunc in modum loquitur: *Moris est, scripturarum obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub ænigmatibus dixerint, aperta voce proferre.* Huic adstipulatur Augustinus, cum ait: *Magnificè & salubriter spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Hæc illi. Non est igitur quod metuat Smiglecius, ne ad eum modum scripturas explicando, proprium, & non spiritus S. judicium sequamur: sed potiùs providendum est, ne fictas istas traditiones amplecten-

plectendo, non solùm humano, sed diabolico etiam judicio nitamur. Spiritus sancti quippe judicium, in ipsa scriptura apparet, cùm quid idem spiritus sibi velit, plurimis in locis cernatur.

At inquit Smiglecius: *Lutherani & Calviniſtæ, ſcripturas cum ſcripturis conferendo, decernunt, Arianos turpiſſimè errare, cùm Chriſtum verum eſſe Deum negant: Ariani rurſum itidem contrà Lutheranos decernunt. Aut igitur utrique ſcripturis legitimè utuntur: aut neutri. Si primum admittatur, ſequitur, ex ſcripturis pugnantia verè colligi: ſi verò alterum concedatur, conſequens erit, non eſſe legitimum ſcripturarum uſum, eas proprio judicio inter ſe conferre & interpretari.* Hîc rursus aliquot modis labitur Smiglecius. Primò enim falsum est, Lutheranos & Calviniſtas, scripturas cum scripturis conferendo, decernere, nos, quos per summam injuriam Arianos vocat, turpiſſimè errare, quòd Chriſtum verum Deum esse negemus, quippe qui maximè, Chriſtum verum Deum esse, confiteamur, ut ex nostris scriptis perspicuum est. Ea quippe vera Chriſti divinitas est, quæ ejusdem continetur imperio, quod in omnes angelos, omnes homines, omniaque alia habet: in qua ipsius divinitate credenda, adorationisque cultu veneranda, quia cum illis optimè convenimus, parumné liquet, eos contrarium ex scripturæ collatione contra nos decernere minimè posse? At dicet Smiglecius, in eo nos cum Lutheranis Calviniſtisque dissentire, quod illi Chriſtum, verum Deum a se ipso, eundemque Deum cum Patre esse, asserunt, nos verò, eum omnem suam divinitatem a Patre accepisse, affirmemus. Respondeo, hoc aliud esse ab eo, quod Smiglecius dixerat: cùm interim utrique Chriſtum verum Deum esse confiteamur, & sic in ea re consentiamus, quæ ad salutem necessaria est: quippe quam fides salvifica, & obedientia necessariò consequatur. Dissensio porrò de modo, quo Chriſtus Deus sit, cum fidem, obedientiam, & cultum Chriſto Deoque debitum minimè tollat, præterquam quòd nullam nostri a nobis disjungendi per se vim habet, etiam non ex scripturæ cum scriptura collatione orta est: sed potiùs ex præiudicata opinione, quâ illi adhuc sub papatu imbuti fuêre. Si enim ad Chriſti personam cognoscendam scripturam cum scriptura eo modo contulissent, quo id fieri debere suprà ostendimus, nimirum ut scripturæ loci obscuriores, per clariores explicarentur, nequaquam Chriſtum unum illum æternum Deum, qui solus Pater est, nominâssent. Apertiſſimum enim est, eum in scripturis, hominem filiumque hominis dici, ex semine Abrahæ Davidisque ortum, spiritu sancto conceptum, virgine Maria natum,

» tum, vel, ut Paulus loquitur, *ex muliere factum, idque in plenitudine temporis, passum, mortuum, a mortuis excitatum, a dextris Dei collocatum,* » *a Patre omni potestate in cælo terraque, & nomine supra omne nomen,* » *propter crucis mortem, donatum fuisse, eundemque propter spiritus sanctificationem, Filium Dei constitutum, Deum super omnes omniavé appellatum:* cum his aliisque sexcentis iisque clarissimis scripturæ testimoniis, si ea contulissent, quæ sunt obscuriora, duarumque naturarum & communicationis idiomatum figmenta, quæ scriptura prorsus ignorat, rejecissent, eademque facilitate, qua nos Dei beneficio, istos aliosque Antichristi errores deprehendissent. Frustra igitur, atque adeo injuriâ, Smiglecius scripturæ collationi tribuit, quod aliunde ortum habet.

His ita constitutis, facile est, dilemma a Smiglecio nobis oppositum, convellere: *Aut* inquit, *utriq; scripturis legitimè utuntur: aut neutri.* Primò enim hîc principium petitur: cùm ostendendum priùs fuerit, utrosque, in memorata de Christo disputatione, scripturas cum scripturis conferre (de hoc enim scripturæ usu hîc verba fieri, res ipsa docet) quàm quæreretur, an utrique id legitimè facerent. Deinde constat, Syllogismum disjunctivum, ex insufficenti partium enumeratione constructum, vitiosissimum esse. Ejusmodi autem istum Smiglecii Syllogismum esse ex eo patet, quòd inter utrumque & neutrum, tertium quiddam intercedit, nimirum alterutrum. Potest enim fieri, ut, si non utrumque istud hominum genus, alterutrum tamen, rectè scripturis utatur. Adde, quòd partes hujus Syllogismi non sunt oppositæ. Cùm legitima enunciationum oppositio, omni ambiguitate carere debeat; Aliter enim distinctione tollitur. Nihil enim prohibet, quo minùs ad diversas scripturæ partes respectu habito, jam utrique, jam neutri, eam rectè conferant, prout nimirum ejusdem rectè conferendæ regulam jam sequuntur, jam negligunt; vel jam ad eam conferendam animum probum docilemque: Iam verò improbum, aut præjudicatis opinionibus impeditum afferant; ut facilè appareat, verissimè a nobis dici, personarum vitia rei per se bonæ, nimirum scripturæ collationi, tribuenda non esse.

At inquit Smiglecius: *Non personarum vitia rei per se bonæ tribuimus, sed Arianorum & Evangelicorum omnium vitia accusamus, quòd rem omnium optimam, & ejus veritatis, quæ ad salutem necessaria est, fontem, nō ea ratione tractent, qua veritas ex illa elici, sed qua omnes errores excitari possint. Neque enim scripturas, per scripturas interpretari, ma-*

ri, malum dicimus (quod eßet rem ipsam damnare:) sed modum ab Evangelicis usitatum damnamus, qui id proprio judicio faciunt, quod secundùm spiritus sancti interpretationem nobis traditam, ex Petri doctrina facere tenentur. Hîc partim idem dicit Smiglecius, quod nos asserimus, nimirum, non scripturæ collationem, sed vitia hominum accusanda esse: partim falsò asserit, nos proprio judicio scripturam per ipsam scripturam interpretari: partim denique ex Petri doctrina, secundùm spiritus sancti interpretationem nobis traditam, scripturam explicandam esse docet. Vt igitur hoc ultimum arripiamus (siquidem priora duo jam prostrata iacent) satis jam ex suprà dictis constat, Smiglecium hoc Petri testimonium non intelligere, perperamque ad traditionum commentum stabiliendum adducere. Relegat, quæ de hoc loco diximus, tùm Smiglecius, tùm benignus lector, & comperiet, Petrum hîc nullam rationem scripturæ per ejusdem collationem interpretandæ, nobis præscripsisse, sed longè aliam rem egisse.

Ridiculum verò est, quòd Smiglecius scripturæ interpretationem, quæ per ipsam scripturam fiat, rem per se bonam, & porrò adhibendam esse fatetur: verùm non judicio nostro, sed secundùm spiritus sancti nobis traditam interpretationem. Cùm enim hîc apertè interpretationem spiritus sancti, ab ea, quæ per scripturæ collationem fit, distinguat, & insuper, ut ex superioribus ipsius verbis patet, per spiritus S. interpretationem, traditiones Apostolicas intelligat, quid, quæso, opus est, scripturam cum scriptura conferendo ipsius sensum elicere? Si citra istum laborem, iam in traditionibus expressus est: Nihil certè ineptiùs aut intricatiùs dici potuit.

Iam quod dicit Smiglecius, *scripturam lumen eße: sed iis qui eam intelligunt*, nihil novi dicit, aut quod ipsius causam juvet. Luminis enim ea est natura, ut in omnium, quibus objectum est, oculos incurrat. Cùm igitur scriptura lumen sit, omnibus hominibus prælatum, parumné liquet, eam ab omnibus intelligi posse. Aliter enim luminis nomine insigniri non posset: cùm etiam ea, quæ obscuritate involuta, & ideò lumen nequaquam sunt, illis pateant, a quibus intelliguntur.

At, inquit, *si scriptura lumen est, ad seipsam intelligendam, cur, obsecro, tot sunt hæretici, qui eam penitus pernoscere volunt, nec tamen aßequuntur? Nam si dicat Volkelius, eos vel præjudicatis opinionibus excæcatos, vel improbitate negligentiaque impeditos, se ad eam legendam conferre: id neque ipsi verum fatebuntur, cum sibi optimè conscii sint, se in scripturam omne studium conferre, & æquè in ipsos Arianos idem rejicere & re-*

& regerere possint. Respondeo, hanc Smiglecii consecutionem nihil valere: cùm eadem ratione, nec solis lucem claram esse, statuendum foret, quia multi vel cæci vel oculorum quocunque morbo laborantes, eam aspicere, vel non possint, vel non sustineant. Nec quicquam ad rem facit, multos conscientiâ suâ fretos, minimè fateri, se præjudicatis opinionibus minimè duci. Cum eâdem suâ conscientiâ falli possint, & porrò, non quid de se dicant, sed quid cum reipsa consentiat, spectandum sit. Sed quoniam dicit, *æquè in nos, idem Lutheranos Calvinistasq; regerere posse*, primò ad rem nihil facit, cùm, si maximè ita se res haberet, scriptura tamen lumen esse non cessaret. Deinde, quòd *sic nihil certum & constans, sed omnes fidei ac religionis rationes suspensas fore ait.* Respondemus, id consequens non esse, cùm vitia personarum, ipsi scripturæ, quæ per se semper certa constansq; est, tribuenda minimè sint. Præterea, non usq; quaq; verũ est, *Lutheranos & Calvinistas idem in nos rejicere posse.* Vt enim taceamus alia, præjudicatis tamen opinionibus magis, quàm nos, illos duci, ex eo patet, quòd Papatui propiores sunt, & ideò nondum omnes Antichristi nugas ejicere potuerunt. Objiciunt hoc illis ipsi pontificii, dicentes, eos, cum scripturam semper urgeant, nobiscum de trinitate, & pædobaptismo, aliisque his similibus rebus disputando, consistere non posse, cùm ista in scripturis non habeantur: ut facilè appareat, ipsos etiam adversarios videre, nos non solùm ab ipsis longiùs, quàm reliqui Evangelici, discessisse, sed etiam scripturæ retinentiores, & porrò in illis excutiendis diligentiores esse. Cùm autem Lutheranis etiam Calvinistisque fatendum sit, ut quisque maximè ab Antichristi nugis abest, scripturæque puritati studet, ita eum ab omni præjudicata opinione, in causa religionis, liberum esse oportere; sequitur, eos in nos id vitii conferre jure non posse. Quę quidem res, quo pateat illustriùs, illam, de ciborum dierumque discrimine, Christianorum dissensionem considerare, hoc loco placet: ubi sine dubio, qui inter diem & diem, cibum & cibum, minimè discriminabant, perfectiores, & porrò a præjudicatis opinionibus liberiores erant. Qui verò ciborum dierumque delectum habebant, opinionem præiudicatam ex legalib: cerimoniis conceptam sequebantur: quamvis fieri potuerit, ut non minùs, hi illos, præiudicatæ opinionis, quàm illi hos, accusaverint, salva interim religione Christiana manente, quam utrique sese sequi profitebantur. Vt igitur, qui tunc Iudaicis superstitionibus propiores erant, opinione præiudicata impediebantur, quo minus Christianæ religionis naturam penitùs intelligerent: qui verò longiùs

giùs ab illis aberant, ii & præiudicata opinione vacabant, & ideò multò rectiùs Christi doctrinam tenebant: Ita & de nostra cum Evangelicis dissensione sentiendum est, quatenus nimirum hi, papisticis, quàm nos, superstitionibus propiores sunt. Id quod ex eo apparere videtur, quòd, quemadmodum olim qui firmiores erant, infirmos ferebant, aut certè, ex Apostoli præscriptione, ferre tenebantur: Ita & nos omnes Evangelicos ferre parati sumus, quamvis illi hactenus parem erga nos charitatem non declarârint. Cuius rei causa alia nulla esse potest, quàm quia Dei beneficio, in divinarum literarum studio Christianaque religione tantum profecimus, ut inter errores salutem adimentes & non adimentes, discernere possimus, & porrò, qui quibusque de causis ferendi sint, qui minùs, optimè noverimus, illi verò non item. Ex quo quidem judicatu facilimum est, utri nostrûm a præiudicatis opinionibus alieniores sint. Quod igitur Smiglecius, *Sic nullum contentionum finem futurum* ait, id certe ex vera scripturæ collatione minimè profluit. Quinimò ex iis, quæ paulò ante dixi, facilè perspicitur, aut omnes, aut certè eas contentiones, quæ de rebus salutaribus inter nos aliosque Evangelicos sunt, cessaturas esse, modò hi præiudicatis opinionibus Antichristiique commentis abiectis, uni scripturæ dent operam, eoque magis, quòd iam reipsa, quamvis non animadvertentes, in iis fidei capitibus nobiscum sentiunt, quibus salutis nostræ summa continetur. Solam enim scripturam omnium doctrinarum ac controversiarum judicem, quicquid dicat Smiglecius, esse, vel ex eo patet, quod alius judex dari non potest, in cuius sententia omnes tutò acquiescere possint, cùm hîc ejusmodi requiratur judex, cujus judicium omnes ratum habeant. Qualem quidem ecclesiam minimè esse, primò ex eo patet, quòd de ea maxima inter omnes est controversia. Romanam enim cohortem, veram Christi ecclesiam, & traditiones, quibus in judicando nititur, verum Dei verbum esse, nemo præter ipsam credit. Scripturam verò sanctam vera Dei oracula continere, omnes qui de religione inter se dimicant, uno ore fatentur. Quis igitur non videt, huius unius judicio, in causa religionis standum esse?

At inquit Smiglecius: *si ipsa scriptura judex est, cur inter hæreticos lites ac disceptationes non dirimit, maximè, cùm omnes ad ipsius judicium provocent?* Respondeo, hîc falsò a Smiglecio negari, scripturam hæreticorum, quos vocat, lites dirimere: cùm, teste experientia, cognoverimus, multos homines, qui antea partim Papistæ, partim Lutherani, partim Calvinistæ aliique fuerunt, & ideò maximè inter se dissenserunt,

runt, non nisi scripturæ judicio, inter se conciliatos, in unumque cætum coactos fuisse: quia nimirum omnibus præjudicatis opinionibus abjectis, id unum sibi attendendum putârunt, quod sacræ literæ præscribunt. Tametsi autem multi ex eorum numero, qui a papatu defecerunt, quibusdam in rebus ad religionem pertinentibus, inter se discrepant, & ideò in diversos cætus, per summam imprudentiam, distracti sunt: tamen hoc non in scripturam conferendum est, quippe cujus judicium, in hac ipsa dissensione, minimè sequantur, sed potiùs præjudicatis opinionibus ducantur. Ita porrò esse, vel ex eo perspicitur, quod isti omnes, in rebus salutaribus, suavissima conspiratione consentiunt, quia nimirum in his credendis scripturæ judicio nituntur, in illis non item.

At inquit Smiglecius: *satis constat, scripturam ad lites dirimendas sententiam non proferre, sed in medio positam, ab omnibus hæreticis, cujusque arbitratu iudicari, & sic iudicis personam sustinere non posse.* Respondeo, satis scripturam sententiã suam proferre, cùm quid rectum, quid secus sit, quid verum, quid falsum, quid credendum, & non credendum, quid faciendum & fugiendum, quis bonus, quis malus habendus, qualiaque præmia justis, suppliciaq; iniustis constituta sint, indicat. Falsum autem est, quòd *omnes, qui a Papatu defecerunt, scripturã pro suo arbitrio judicare* ait: cum potiùs maximus eorum numerus sit, qui suum judicium scripturæ judicio planè subiiciant, & eam ob causam, ut dixi, maximè inter se concordent. Nihili igitur faciendum est, quod mox addit: *Alioqui, si quam scriptura sententiam proferret, cur nemo e tanto evangelicorum numero extitit, qui se hoc judicium exaudisse testaretur. Si enim audiunt, pugnantia iudicia audiunt, cùm singuli suum proprium judicium scripturæ affingant.* Respondeo, & planè me mirari dico, Smiglecium negare, ullum extitisse hæreticum, qui sese scripturæ sententiam exaudivisse testificaretur: cùm potiùs nullus eorum, qui falsò sic ab ipso appellantur, sit fueritque unquam, qui sese scripturæ judicio stare neget. Nisi fortè hîc Smiglecius de proprio aurium auditu loquitur, quod quidem, quàm sit ineptum, nemo non videt, cum satis rectè is scripturæ sententiam exaudire dici possit, qui eam legit ac percepit. Quod verò *pugnantia judicia audiri dicit*, id quidem nihil ad propositum facit: Cùm, si maximè singuli suum proprium judicium scripturæ affingerent, idem tamen scripturæ judicium semper maneat, mutarique nullo pacto possit. Ex quo fit, ut, si omnes animum a præjudicio liberum ad illius judicium audiendum percipiendumque afferrent,

rent, omnis repugnantia facilè tolleretur. Desinat igitur tandem Smiglecius, personarum crimina, ipsi rei per se bonæ tribuere, judicisque legitimi titulo, ideò quempiam, huic officio præfectum spoliare, quia ejus sententia, quamvis per se clarissima, a multis ineptis aliter atque aliter accipitur.

Instat tamen Smiglecius: *Iam verò*, inquit, *ut delirus & mentis inops is esset, qui constitutiones regni, exclusis animatis judicibus, pro judice regni constitueret, cum lex sit mutus judex, qui nec loqui, nec se tueri, nec inter partes pacem componere possit: sed patitur se quoquo versum trahi, & in utramvis partem detorqueri, nullo unquàm fine litiũ. Mutus enim judex, nullus judex: ita deliris perquàm similimi sunt, qui id ipsum in scriptura, quæ nobis lex divina est, faciendum putant.* Respondeo, cùm hîc de iis controversiis dirimendis potissimùm agatur, quæ de fide religioneque inter homines ducuntur, intelligendum est, regni mundani constitutiones, a divina scriptura plurimùm differre. Vt enim illæ mutus iudex, absque judice vivo, dici fortasse possint: scripturam tamen sanctam eâdem maculâ aspergere, summæ impietatis esse videtur. Primò enim mundani regni constitutiones, omni divina efficacitate destitutæ sunt. Verbum autem divinum sacris literis consignatum, & vivum efficaxque est, & omnes divini judicis partes continet atque exequitur. Est quippe acutius quàm gladius anceps, & ingreditur usque ad " divisionem animæ & spiritus, & commissurarum & medullæ & ossium, & dijudicat cogitationes & consilia cordis. Facilè igitur concesserim, leges humanas absque administratore mutum judicem esse: scripturam tamen, cum viva per se sit, ad dijudicandas controversias, altero vivo judice indigere pernego. Quo in loco simul & hoc animadvertendum, non nisi eum religionis controversias componere, & sic earum judicem esse posse, qui ita partes dissidentes conciliat, ut earum mentes animiq; sine ulla dubitatione in ipsius sententia acquiescant: cùm religionis negotium planè spirituale sit, & ideò ad hominis animum, eumque libera voluntate præditum spectet. ut facilè appareat, ejusmodi judicium ab homine fieri nullo pacto posse. Neque usquam scriptum legimus, certis hominibus, præ aliis, hanc potestatem datam esse, ut ultimam necessariamque de scripturæ sensu ferant sententiam. Contrà verò omnes omnia, spiritusque an ex Deo sint, probare, diserti ssimis verbis iubemur.

Heb: 4. 12.

1. Tes: 5. 21. 1. Ioan: 4. 1.

At inquit Smiglecius: *non quacunque ratione, nec cujusvis judicio hoc permittitur. Cùm eam scripturæ interpretationem sequi debeamus,*

quam ab Apostolorum temporibus ad hæc usque tempora receptam, certa ac perpetua traditione accepimus. Respondeo: fatemur sanè cum Smiglecio, non quocunque modo, nec cujusvis judicio spiritus probandos esse. Hinc tamen minimè consequitur, non, nisi traditiones istas sequendas esse: cùm non solùm longè aliam tutioremque spiritus probandi viam, sed etiam memoratas traditiones, inanissimum commentum esse, supra demonstraverimus.

Pergit autem aitque: *Cùm hæretici eam interpretandi legem reiiciant, non hæreticis, sed catholicis ea laus tribuenda est, quòd scripturæ non literam solùm, sed & spiritum habeant.* Hæc ille. Atqui probandum priùs erat, illos, qui fabulas istas reiiciunt, esse hæreticos, & non potiùs istos ipsos hoc nomine appellandos, qui divinum verbum iisdem nugis postponunt: illud literam, has verò spiritum nominando. Scripturam porrò, præsertim novi testamenti, quâ solâ Christiana religio tradita nobis est, literam esse spiritûs expertem, falsò, ne dicam, impiè dicitur. Nam præter ea, quæ paulò ante hac de re diximus, etiam Paulus apertè, Evangelicam doctrinam spiritum, seseque unà cum aliis, spiri-
2. Cor. 3. 6. tûs, id est, Evangelii ministrum nominat, ipsumque Evangelium literæ occidenti, nimirum legi, opponit. Ex quo apparet, eum, qui scripturam, qua Evangelium continetur, habet, etiam scripturæ spiritum habere, nec opus esse, falsum traditionum spiritum ad scripturæ sensum eliciendum accersere: cùm, ut demonstravimus, scriptura ipsa per se lumen clarissimum sit, & ideò seipsam explicet.

Constat igitur ex iis, quæ diximus, & scripturam controversias de religione existentes dirimere, & solam iudicem esse, & porrò nullum hominem hanc sibi provinciam vendicare posse. Verùm cùm Smiglecius id unicè agat, ut suos Papas controversiarum judices constituat, sciat, se nunquam effecturum, ut, qui de religione inter se dissentiunt, eum pro judice agnoscant. Cum enim ipse Papa ab omnibus istis accusetur, quòd ut omnium errorum, ita & defectionis a salutari veritate autor sit, quomodo, quæso, judicis personam sustinebit? Cùm nihil sit ab omni æquitate justitiaq; alienius, quàm me eius, qui ipse reorum loco sedet, & quocum mihi res est, judicium subire. Ipse enim Papa, omnibus, a quibus accusatur, rerum circa religionem a se gestarum, rationem reddere debet. Quod idem & de omnibus Romanæ ecclesiæ præsidibus dictum volumus. Ex quo intelligitur, non Papam, nec Romanenses, controversiarum, quæ hæreticis, quos vocant, cum illis sunt, judices esse posse, sed requiri alium quendam utriusque partis judicem,

dicem, qui, cùm, ut demonstravimus, non nisi scripturae esse possit, quorsum, quaeso, attinet sic ineptire? Reliqua quae hoc loco a Smiglecio dicuntur, cùm jam aliquoties a nobis refutata sint, sciens volensq; praetereo, & tandem ad nonae demonstrationis examen me confero.

Caput XX.

Examen nonae demonstrationis, ex fructu ministrorum sumptae.

VEri evangelii ministri afferunt fructum Evangelio dignum.
Hunc fructum non afferunt ministri Evangelici.
Ergo non sunt veri evangelii ministri.

Responderamus in nodi dissolutione, minorem falsam esse, rationeque a Smiglecio allata probari non posse: nimirum, *quia nullus ex nostra secta prodierit, aliqua sanctitate illustris. Nullus enim*, inquit, *vadit & vendit omnia: nullus vult castitatem perpetuam servare, ad eamque voto se adstringere: nullus Ioannis baptistae exemplo ad desertum se contulit, ut ibi cilicio & pilis camelorum indutus, aqua & oleribus victitaret: nullus divinarum rerum contemplatione in cælum usque raptus: nullus divinae dulcedinis inebriatus animi deliquium passus est.* His, inquam, Smiglecianae demonstrationis assumptio, ideò confirmari non potest, quòd ad ministerii essentiam minimè spectant, sive ministros ipsos tales esse oportere, ut vult Smiglecius, sive necesse esse statuatur, ut, qui veri ministri haberi cupiunt, tales viros ex sua secta prodiisse ostendant. Fassus est hoc ipse Smiglecius, nimirum multos veros ministros absque eo fructu docere: & tamen hîc dicit, nescio qua fronte, Volkelium causâ penitùs concidisse, & vi demonstrationis victum succubuisse. Egregiam verò demonstrationem, quae ex praemissis non solùm minimè necessariis, sed falsis etiam, falsissimam extruit conclusionem. Vt autem videat, nec ullam ejus vim esse, nec porrò Volkelium eâ victum succubuisse, intelligendum primò est, non ideò quempiam verum Evangelii ministrum non esse, quia fructum Evangelio dignum non affert, quamvis maximè velit: cùm ex Evangelii praescripto vivere vel non vivere, in hominum arbitrio positum sit. Deinde minimè consequens est, quia vel Ioanni baptistae, vel Paulo Apostolo, vel Ioanni Theologo in rebus commemoratis, similes viros non producat, idcirco eum fructus Evangelii non ferre: cùm ista & singu-

laria sint, ideoque ad ordinariam ministerii functionem minimè spectent:& evangelii fructus, iique Evangelio dignissimi, dari possint, nimirum fides & pietas in Deum ac Christum, cultusq; utrique debitus. Adde, quòd viros, Ioanni baptistæ, Paulo & Ioanni Theologo similes producere, nec in ministri, quantumvis legitimi, potestate est; nec Evangelii fructus rectè nominatur. Evangelium quippe parit fructus ordinarios, inque hominum arbitrio positos. Tales autem viri singularissima quadam Dei potentia excitantur. Vt igitur, non Evangelio jubente, Ioannes baptista in desertum exivit, rationeque commemorata victitavit: nec Paulus, ea re, in tertium usque cælum raptus: nec Ioannes Theologus, eadem de causa, visis admirabilibus perterritus, animi deliquium passus est: Sed Deo singulari modo id procurante. ita & hodie, si talia exempla extarent, non ad generalem Evangelii prædicationem, sed ad singulare Dei consilium referenda essent. Desinat igitur Smiglecius, ideò nostros ministros vero ministerio spoliare, quia Evangelium prædicando id non efficiunt, quod non Evangelii, sed singulare Dei opus est. At inquiet: non solùm Ioanni baptistæ, Paulo, & Ioanni Theologo similes prædicando non producitis: sed nec eos, qui vadant & vendant omnia, aut castitatem perpetuam servent, ad eamvé voto se adstringant. Respondemus, hîc partim principium peti, cum probandum fuerit, nullum unquam inter Evangelicos talem repertum fuisse. Deinde si maximè probâsset, falsa tamen assumptio esset: cùm præter ista alii Evangelii fructus existere possint, ut docuimus. Accedit, quod ii Evangelii fructus sunt, qui, ut suprà diximus, ex ipsius præscriptione oriuntur, ab hominibusque fiunt. Cùm igitur Evangelium, nec ad omnium bonorum nostrorum venditionem, nec ad castitatem, extra matrimonium, vovendam servandamque nos adstringat; equidem non Evangelii fructus, sed spontaneæ voluntatis effectus, dicenda ista sunt. Ex quo apparet, etiamsi ista nunquam fierent, ministros tamen Evangelium prædicantes, veros ministros esse. Ad extremũ, etiamsi Evangeliũ perinde ista fieri juberet, ut in Christũ credere eiq; obedire: non protinùs tamen verbum Dei vivũ efficaxq; non esset, aut eius prædicatio verum ministeriũ esse cessaret, si nemo ea faceret, vel illud reciperet. Deus enim, ut dixim⁹, nemini vim facit, quamvis omnes sibi obedire maximè cupiat: quemadmodum nec ipse Christus, ideò lux & mundi salvator esse desinit, quia mundus luci tenebras, & saluti interitum anteponit. *Atqui*, inquit Smiglecius: *Ex fructibus ministros cognosci, ipse Christus docuit. Voluit ergo hanc veluti proprietatem veris ministris ineße, ut fructus*

ut fructus bonos producant. Respondeo, Christum ibi non de quolibet doctore, sed de falso propheta loqui, qui sese spiritu divino agi, novamque & inauditam rem proponere gloriatur, sineque ulla censura sibi credi postulat. Quem ex fructibus cognoscendum esse Christus docet, quia scilicet Deus permissurus non sit, ut is, qui alios datâ operâ seducit, piè vivat. Ex quo colligitur, Smiglecium, isto Christi testimonio, nequaquam convincere, eum non verum ministrum esse, qui prædicatione sua, effectualiter, bonos fructus non parit: cùm satis sit, eum ea docere, quæ, si accipiantur, ad bonos fructus edendos sunt accommodata. Alioqui enim nec Christus, nec Apostoli boni doctores fuissent, cùm non semper, nec ubique, per hominum incredulitatem contumaciamque, bonos fructus parere potuerint.

At, inquit Smiglecius: *Non per accidens, sed per se, ex evangelicorum doctrina mali fructus sequuntur: cùm ab illis doceantur, quæ a perfectione evangelica homines avertunt, & rursus ea hominibus proponantur, quæ ipsos ad omnem licentiam & morum dissolutionem præcipites agunt: quòd nimirum solam fidem justificare asserant: quòd sacramenta tollant:* &c. Hæc in nodi dissolutione Lutheranis reliquisque evangelicis defendenda reliqueramus, quippe quæ nobis jurè opponi nequeant: cùm nec solam fidem justificare dicamus, nec sacramenta, quæ vocant, tollamus. Facilè tamen Evangelicorum, de sola fide justificante sententia defendi potest, modò rectè intelligatur: nimirum, eam solam justificare, quatenus operibus perfectissimis, quæ homo per totam vitam absq; ulla offensione prolapsione vé fecerit, & sic operum meritis opponitur: qualia opera legis essent, si ab ullo unquam facta fuissent. Qua de causa & Apostolus Paulus inquit: *Arbitramur igitur, fide justificari hominem absque operibus legis.* Rom: 3. 28. Ex quo nequaquam consequitur, evangelicos omnia simpliciter opera a fide excludere: negare quippe non possunt, fidem Christo adjungendam non mortuam sed vivam esse, & per obedientiam Christo debitam vires suas exerere. Quæ quidem doctrina nequaquam homines a pietatis studio avertit. Quod si aliter eos sentire Smiglecius existimat, sciat, sibi non tàm cum illis, quàm nobiscum rem esse, ostendatque, ullam doctrinæ nostræ partem esse, quæ hominibus ad morum dissolutionem fenestram aperiat.

Sacramenta porrò nec nos, nec reliquos evangelicos tollere, ex eo manifestum est, quòd nulla talia sacramenta extant, ut suprà demonstravimus, quomodo igitur tolli a nobis possunt? Quòd si sacramentorum nomine cœnam Domini baptismumque intelligit, constat, utrum-

utrumque, tàm in nostris, quàm in Evangelicorum cætibus vigere. De reliquis, quæ similiter sacramenta ab istis dicuntur, satis suo loco dictum est. Interim hîc Smiglecium admonitum volumus, ne tantopere de Papistica doctrina triumphet, quasi tanta ejus vis sit, ut multos singulari sanctimonia insignes viros produxerit. Tantum enim abest, ut, eam illi virtutem inesse, verè dici possit, ut potiùs nihil ad homines summa impietate contaminandos, accommodatius esse videatur. Ex hac enim disciplina horrenda idololatria nata est: cùm præter Deum Christumque, qui soli nobis colendi in divinis literis proponuntur, & imagines insuper & panem eucharisticum & sanctos mortuos adorationis invocationisque cultu venerandos esse doceat, hominesque a purissima Christi doctrina, ad varia figmenta, fabulas inanes, superstitionesque Apostolicarum traditionum titulo palliatas, traducat; dùm & eos scripturæ lectione prohibet, & Antichristi placita sequi, ad salutem satis esse suadet, quamvis interim omnium flagitiorum genere sint cooperti. Quid, quòd sacrificulis matrimonium interdicendo, & ipsos in perjurium omnesque turpitudines conjicit: & pessimo eorum exemplo, totum gregem, quantum in ipsa est, corrumpit. Adde, quòd eadem pontificiorum doctrina, auricularem confessionem, missam, itinera ad sepulchra idolaque, peccatorum remissionem afferre asserit, quamvis quispiam subinde ad peccata relabatur. Simile quiddam & confecto ab istis purgatorio tribuit, nempe eo homines, quamvis securè peccantes, perpurgari, & tandem viventium amicorum suffragiis liberari. Plures egregiæ istius doctrinæ partes omitto: quas omnes non ad pietatis studium stimulandi, sed potiùs ab eo homines avocandi, maximam vim habere, omnes cordati facilè intelligunt.

Iam quod ad insignes pietate viros attinet, nullos præter sacrificulos celebres & monachos adducere potest: quos quidem, per istam eorum doctrinam procreatos esse, facilè patimur. Hoc enim ex ipsorum vita actionibusque perspicitur: cùm castitas, ad quam sese voto adstringunt, omnium oculos incurrat, clarissimeque pateat, non Christi, sed ut Paulus testatur, dæmoniorum doctrinam, ex qua tales fructus emergunt, istos sequi. Verùm esto, abierint multi in desertum: concluserint se in monasteria: virgis se ipsos cedant, faciant denique multa alia his similia: Ideone erunt viri singulari pietate præditi? Nequaquam, cum non is verè pius sit, qui citrà ullum Dei mandatum, somnia tantùm sua consectans, tale quid suscipit, sed qui ex Dei Christique lege, vitæ suæ statum componit. Frustra enim Deum mandatis hominum coli scriptum

1. Tim. 4. 3.

Mat. 15. 9.

legi-

legimus. Itaque perspicuum est, illa singularia Baptistæ, Pauliique exempla, vel nihil ad rem propositam facere, vel, si ea ecclesiæ quædam ornamenta esse volumus, non Romanæ ecclesiæ ea accommodari posse, quippe cùm, ut in nodi dissolutione demonstravimus, ei planè adversentur. Porrò res ipsa testatur, istorum virorum singularem præstantiam, non nisi eum cætum ornare, qui ipsorum doctrinam retinet, & sequitur: quod quidem Romanensis cohors, ut docuimus, nequaquam facit. Quod igitur Smiglecius dicit, *hos sanctissimos viros ad nostram sectam non pertinere, nobisq; dicere posse, ex nobis exististis, sed non estis ex nobis, cum quæcunque nos docuimus, scripsimus, ea vos partim repudiaveritis, partim nefariis interpretationibus corruperitis.* Hæc, inquam, Smiglecii convitia, non in nos, sed in ipsum meritò conjiciuntur. Ostendat enim Smiglecius, nos non eandem, quam Ioannes tradidit, pœnitentiæ doctrinam retinere: ostendat vel unam disciplinæ, quam profitemur, particulam, quæ a Pauli Ioannisque Theologi doctrina abhorreat: quemadmodum nos in nodi dissolutione demonstravimus, Romanenses, & Ioannis Baptismæ minimè retinuisse, & a Paulo Ioanneque Theologo defectionem a fide prænunciantibus, acerbissimè notatos fuisse. Meritò igitur Smiglecius cum suis hæc audiret: *Ex nobis exististis: sed non fuistis ex nobis*, quia nimirum nostra doctrina contempta, vestras nugas, terrarum orbi obtrusistis. 1. Ioan: 2. 19.

Caput XXI.

Examen decimæ demonstrationis.

M*Inistris veris Deus cooperatur & sermonem confirmat sequentibus signis.*

Ministris Evangelicis nunquam est cooperatus, nec sermonem eorum confirmavit Deus sequentibus signis.

Non sunt igitur veri ministri.

Responderamus Smiglecium tum Syllogismorum formam violâsse, majorem in secunda figura, ponendo particularem: tùm materiam, minorem falsam afferendo, cum Apostoli miracula fecerunt, qui maximè evangelici ministri fuerint. Respondet primò Smiglecius, *me in Logicam impingere, quippe qui non advertam, universè verum esse, omnibus veris ministris. Deum cooperari tunc, cùm id maximè expedit, vel ad Dei gloriam, vel ad fidelium utilitatem, vel ad ipsius ministri sanctimoniam declarandam.* Respondeo primùm Smiglecium isto modo

majoris particularitatem, non solùm non tegere: sed magis etiam aperire. Cum enim universalitas, præsertim in demonstrationibus, nullam admittat exceptionem sive subjecti partis, sive temporis: sed omninò postulet, ut prædicatum toti subjecto idque omni tempore tribuatur: cumque Smiglecius hîc non omnium esse miracula facere, & non nisi tunc cum expedit, concedi fateatur, an non videt, se frustrà suam Logicæ ignorantiam, in Volkelium transferre, eaque dicere, quæ Volkelius etiam ipso minimè docente, jam olim vidit: nimirum Deum tunc ministris, idque quibusdam, scriptura testante, miracula edendi potestatem facere, cum opus est. Non igitur Smiglecius Volkelio: Sed Volkelius ipsi Logicum erratum condonat.

Iam verò quod ad minoris falsitatem attinet, ea hoc ipso a nobis convicta erat, quòd Apostoli maximè Evangelici ministri fuerunt, Deusque illorum doctrinam confirmavit, sequentibus signis. Dicit Smiglecius: *At quis hoc ipsis concedat, qui ad Apostolos ita pertinent, ut ii pertinere censentur, qui omnem Apostolicam doctrinam evertunt, & somnia inanissima ac immanes in Deum blasphemias ejus loco hominibus obtrudunt.* Hîc intelligendum est, Smiglecium suo more turpissimè hallucinari: cùm non dixerimus, nos ad Apostolos pertinere, quanquam hoc alioqui verissimum sit: sed Apostolos fuisse evangelicos ministros, utpotè evangelium ubivis locorum prædicantes. Hoc igitur Smiglecio negandum erat, si minorem sui Syllogismi salvam esse, eaque dicere voluit, quæ ad rem faciunt. Quid, quòd & hæc per summam temeritatem effutiit, nimirum nos Apostolorum doctrinam evertere, & somnia inanissima blasphemiasque in Deum immanes hominibus obtrudere. Cur enim hoc ipsum non probat: vel non potiùs hæc omnia, in ipsum retorqueri meritò posse non animadvertit? Quam enim Apostolicæ doctrinæ partem isti magni doctores non depravârant? Convincunt hoc tùm nostra, tùm aliorum præstantissimorum virorum scripta, quæ ab istis hactenus refutata minimè fuêre. Pudeat igitur tandem istos rabulas, tam impudenter calumniari: inque homines innocentes debacchari desinant, nisi & levitatem suam omnibus prodere, & justum Dei judicium subire velint.

Mar. 16. 17.

Dixeramus in nodi dissolutione, Smiglecium ridiculum se præbere, dum a nobis, qui idem (& non aliud) evangelium, quod Apostoli prædicârunt, profitemur, postulat, ut per mille sexcentos annos, vel unum miraculum a nostræ confessionis hominibus factum proferamus. Dicimus idem & nunc, eoque magis, quòd vel sola ejusdem doctrinæ professio,

fessio, nos omni miraculorum necessitate liberat: cùm ea doctrina satis Apostolorum miraculis confirmata sit. Non potuit Smiglecius nodum istum solvere, ideoque solutionis loco, in convicia prorupit. Sed nihil agit: cùm non calumniis, sed veritate, ejusmodi causæ obtineantur. Addideramus insuper, nihil causæ nostræ officere, quòd & Ariani, & reliqui evangelici Apostolorum miracula sibi vendicent: cùm, licet in quibusdam rebus, quibus salutis nostræ ratio minimè continetur, dissentiamus: in veritate tamen salutari, quæ pauca admodum continet, ita consentiamus, ut omnes unus cætus esse possemus. Respondet Smiglecius: *Id neque ullo modo*, inquit, *ab Evangelicis admittetur, neque cum veritate ipsa concordat. Nam ut cætera prætermittam, quid magis ad salutem pertinet, quàm Christum verum Deum verumque salvatorem credere? Id tamen & impiè ab Arianis negatur, & potenter ab Evangelicis asseritur. Quî igitur unus cætus ex Arianis & Evangelicis constare possit, qui in eo, quod est totius religionis caput & summa, non conveniunt?* Hæc Smiglecius. Intelligendum autem est, ea hîc dici, quæ partim ad rem nihil pertinent, partim falsissima sunt. Primò enim hîc non quæritur, quid Evangelici velint aut nolint. Sed quid fieri posset, nisi inter ea, quæ ad salutem omninò necessaria sint, & ea quæ ad salutem sint utilia: item inter errores salutem adimentes, & non adimentes, discernere didicissent. Falsissimum verò est, ut suprà ostendimus, eos, quos Smiglecius per calumniam Arianos nominat, Christum verum Deum, & verum salvatorem esse negare, cùm potiùs nullus hominum cætus existat, qui veram Christi divinitatem magis ex animo confiteatur ardentiusque urgeat, quibusque in rebus tùm hæc ipsa ejus divinitas consistat, tùm qua ratione is salvator noster sit, meliùs intelligat. Legat Smiglecius ea, quæ nostri homines, de Christi tùm divinitate, tùm de Christo servatore scripserunt, & comperiet, ita planè, ut diximus, esse: modò animum probum, & a contradicendi studio alienum ad legendum afferat. Dissensionem de modo, quo Christus Deus est, minimè impedire, quo minus unum cætum conficere possimus, jam suprà demonstravimus. Relegat ea Smiglecius, quæ hac de re diximus, animo ad veritatem propenso, & videbit se frustrà pugnare. Sed pergamus ad reliqua. Ait Smiglecius: *non quæri, an Apostoli suam fidem miraculis testatam fecerint: sed an aliquis, quem certo Arianum esse constet, suam fidem, quam Ariani Apostolicam falsò vocant, & ea ratione, qua ab illis defenditur, ullo, vel tenuissimo miraculo confirmaverit unquam.* Respondeo, neutrum hîc quæri, cùm quæstio quæ tractatur, non

in præmissis, sed in conclusione contineatur. In omni enim argumentatione, altera pars quæstionis concluditur: Cùm igitur Apostolos vel doctrinam suam, vel Arianorum confirmâsse, id ipsum sit, quo res de qua quæritur, probanda est; quomodo, quæso, vel hoc vel illud, hîc quæri satis logicè a Smiglecio dicitur? Quæstio autem hæc est: an veris evangelicis ministris miraculis opus sit? Nos hoc negamus, idque ideò, quia eam profitentur doctrinam, quam Apostoli, jam antea miraculis confirmârunt. Et hoc quidem satis est, ad negantem propositæ quæstionis partem concludendam. Vt enim a quopiam miracula rectè postulentur, non satis est, eum aliam ab Apostolis doctrinam tradere: sed necesse etiam est, illum se hoc facere, profiteri: quanquam nec Smiglecius, nec ullus ante ipsum, hactenus probare potuit, nostros homines, non eandem salutarem Christi doctrinam tenere, quam Apostoli & tenuêre & literis prodidêre: contra verò solis luce clarius sit, istos nullam Christi Apostolorumque doctrinæ partem salvam incolumemque reliquisse: & insuper innumeras easque aniles fabulas, induxisse, quibus veritas partim planè obscurata, partim longo temporis intervallo occultata demersaque jacuit. Glorietur Smiglecius de sua catholica ecclesia, deque confictis miraculis, nos contrà calumnietur, quantum velit, nunquam efficiet, ut in tanta evangelii luce, verba ipsius calumniis conviciisque plena, aliquid apud cordatos ponderis habeant.

Pergit autem & dicit: *Ait Volkelius, duabus evidentissimis rationibus demonstrari posse, nulla divina miracula ad salutarem doctrinam confirmandam apud nos edita esse. Primùm, quòd Deus nihil facit frustrà. Frustrà autem fuissent miracula, postquam salutaris veritas satis fuit confirmata. Deinde, quòd Deus ad Christi religionem homines non cogit. At si hodie etiam ederentur miracula, homines quasi vi impulsi, non autem propria virtute adducti, ad Christum se conferrent, & sic liberum arbitrium tolleretur.* Hîc animadvertendum, Volkelium longè aliter locutum fuisse, Smiglecium que illius verba citantem, ea omittere, quæ maximum pondus habent, ut mox videbimus.

Iam ad priorem rationem primò respondet Smiglecius: *Multa omnibus seculis pro veritate catholica facta esse miracula, Patribus scriptoribusque rerum ecclesiasticarum testibus.* Hîc intelligendum est, Smiglecium principium petere: cùm doctrinam Romanensium, catholicam veritatem nominat, miraculaque pro illa facta, divina miracula fuisse asserit, ut nihil dicam, hoc ipsum dubium esse, an nimirum ulla

unquam

unquam pro Papistarum placitis, miracula edita fuerint. Quinimò falsissima omnia ista esse, jam pridem a nobis, multisque aliis demonstratum est. Deinde quòd ideò negat, *Deum hodie frustrà miracula facturum, quia non semper summo jure nobiscum agat*, nullius momenti, imò ineptissimum est. Quæ enim hæc est consequentia: *Deus non semper summo iure nobiscum agit. Ergo quamvis primò facta miracula, ad fidem confirmandam satis fuerint, non frustrà tamen & hodie miracula fiunt?* ineptissima nimirum. Nam præterquàm quòd antecedens particulare est, ideoque consequens istud arguere non potest, etiam hanc ob causam, hoc cum illo nihil conjunctum habet, quòd summo jure cum quopiam agere, non est tantum illi (& non plus) dare quantum satis est: sed ea quibus obstrictus est, acerbè ab eo exigere. Cum igitur, ut & ipse Smiglecius fatetur, illa Christi Apostolorumque miracula, ad veritatem confirmandam satis fuerint, quomodo quæso summo jure Deus nobiscum agit, jubendo, ut in Christum credamus, quamvis hodie nulla miracula ordinariè fiant? Si dicas, in eo summum jus futurum fuisse, si Deus omninò requisivisset, ut illis miraculis contenti plura ne postularemus: negamus ita esse: cùm eas fidei causas nobis afferre, quæ ad eam efficiendam sufficiunt, velleque ut credatur, nequaquam sit iniquè agere, ut in summo jure sæpè fieri solet: sed admodum benignè nos tractare, præsertim tanti boni, quantum vita æterna est, exploratissima spe nobis facta.

At inquit: *Non frustrà Deus facere censendus est, in quo suam in nos liberalitatem testatur.* Fateor sanè: at satis sese Deus hoc ipso liberalem præbuit, quòd tot tantaque tum per Christum, tum per Apostolos patravit miracula, quot & quanta ante illud tempus edita nunquam fuêre. Quam Dei liberalitatem Ioannes evangelista summopere extollens, ait, vel per ipsum Christum tot admiranda opera facta fuisse, ut ne mundus quidem caperet libros, quæ de illis scriberentur: hæc autem scripta esse, *ut credamus, & credentes vitam æternam habeamus.* Ex quo apparet tantum abesse, ut hodie ad credendum miracula fieri opus sit, ut etiam illorum omnium, quæ olim revera fiebant, specialis exactaque notitia minimè requiratur. Satis autem liberaliter, Deum illa prima miracula edendo, nos tractâsse ex eo patet, quòd altera ratio a nobis posita, ampliorem Dei hac in re liberalitatem, nequaquam admittit, quippe quæ & liberum arbitrium, & Christianæ religionis naturam tolleret. Deus enim neminem ad credendum cogit, religioque Christiana lydius lapis est, ut in nodi dissolutione addideram, quo hominũ

Ioan: 21. 25.

cap: 20. 31.

animi explorantur, ut, nimirum probi, tantùm illam amplectantur: improbi verò suâ culpâ ea offendantur. Probis quippe ea argumenta, quibus olim Christi doctrina confirmata fuit, ad eam amplectendam satis sunt. Improbi verò illis minimè contenti, fortassis miraculis, si hodie etiam ederentur, quasi vi quadam impulsi, non autem virtutis amore adducti, ad Christum se conferrent, & sic liberum arbitrium excluderetur, Christianaque religio animorum exploratrix esse cessaret, & suam naturam perderet. Quid ad hæc Smiglecius? *Non habent*, inquit, *miracula vim cogendi & evertendi liberum arbitrium, sed excitandi & impellendi duntaxat: ita ut sequi impulsum vel non sequi, liberum relinquatur.* Animadvertendum autem est, mi Smigleci, Volkelium non simpliciter de miraculis, sed miraculis Christi, iisque, sicuti Smiglecio placet, ad hoc usque tempus iteratis & continuatis, verba facere. Quorum quidem tanta vis esset, ut vix aut ne vix quidem hominem sui juris esse permitterent. Si enim miracula ad tempus tantùm facta, tantam vim habuêre, ut etiam homines pessimos Deoque inimicissimos, ad credendum impulerint, in quo numero fuerunt non pauci ex illis Pharisæis, quos in Iesum credidisse Evangelistæ testantur: quamvis illorum alii, cum confiteri non fuerint ausi: alii etiam contra suam conscientiam, ipsius miracula principi dæmoniorum adscripserint, probè interim intelligentes, digito sive spiritu Dei ea patrari, & ideo blasphemiæ in spiritum Sanctum a Christo convicti fuerint, blasphemiaque ex ignorantia proficisci non possit: Quanto magis hoc tempore, quo religio Christiana familiarissima hominibus facta est, nec perinde, ut tunc eam confiteri, nefas habetur, miracula subinde repetita, planè eos ad Christo confitendum obediendumque cogerent: aut certè efficerent, ut discrimen inter probos & improbos, non satis appareret. Is enim demum verè probus existimandus est, qui quamvis, quæ olim facta sunt miracula, ea aut illorum similia nunc non videat, tamen in Christum credit: contra verò si continuis miraculis hominum oculi cordaque perstringerentur, ideoq; Christi ductum sequerentur; quis, quæso, an probitate, an miraculorum potiùs vi adducti, illud facerent, satis agnoscere posset? Et porrò quomodo Christi doctrina lydius lapis esse non cessaret? Ex quo intelligitur Pharaonis exemplum a Smiglecio adductum, nihil ad rem facere. Est enim planè heterogeneum, cùm nec Deus ipse, miraculis illum commoveri, sed magis indurari voluerit: & miracula illa non ejus generis fuerint, cujus fuerunt Christi & Apostolorum. Nam præterquam quòd non perindè ut Christi admiranda illa opera,

Ioan: 12. 42. 43.

Mat: 12. 24. 32.

Phara-

Pharaonem Ægyptiosq; beneficiis, sed insignibus damnis afficiebant: etiam Magi Ægyptii suis incantationibus ea similiter faciebant: Christi verò Apostolorumque miracula ejusmodi fuêre, ut nec ea Diabolica virtus assequi, nec humana calliditas imitari posset. Non sunt igitur hæ rationes leves, ut dicit Smiglecius: sed adeò graves, ut eas refutare non potuerit, eoque magis, quòd ipse parum sibi constans supra pag: 34. disertissimis verbis dicit: *gratias quæ solùm ad fidem confirmandam spectabant cessâsse: Si quidem & necessitas talium gratiarum cessavit, sufficienter promulgato & miraculis confirmato Evangelio.* Et pag: 34. ait: *miracula solùm ad fidem inducendam erant necessaria, eâque fundatâ & confirmatâ potestas ordinaria faciendorum miraculorum cessare debuit.* Similiter Scarga se gerit, cum Hieronymo Moskorzovvio disputans, & jam miracula cessâsse, jam etiamnum, apud Romanenses vigere affirmans: ut facilè appareat, quantum in istis Theologis fidei ponendum sit, qui modò ajunt, modò negant, & tamen sua dicta, pro oraculis agnosci volunt. Constat igitur, si hodie miracula fiant, ea ad veritatem confirmandam non fieri, & sic non nisi illa esse, de quibus Paulus Christusque prædixit. Mat: 24. 24. 2. Thes: 2. 9.

At enim Smiglecius, nos ista cum Christo Apostoloque dicendo, *spiritum sanctum blasphemare ait:* Quod quàm rectè faciat, ipse videbit. Puerile autem, ne dicam anile prorsus est, *quod nos pharisæis illis similes facit, qui Christi opera Beelzebub principi dæmoniorum attribuerunt, ideoque spiritum sanctum blasphemârunt:* Cum nec istos homunciones miracula aliqua facere constet, nec si faciunt, Christi ea miracula esse probare possint. Quanto autem inanius est, quod postmodum dicit, inquiens: *Quæ in ecclesia catholica fiunt miracula, nihil illis cedunt, quæ in primæva ecclesia, ab Apostolis facta fuêre: imò maiora facturos nos fideles, quam ipse fecerat, Christus affirmavit. Si igitur hæc cum illis eiusdem generis sunt, eadem ratione utraque admittenda vel reiicienda erant.* Respondeo cùm hîc Smiglecius catholicæ ecclesiæ nomine Romanensem cohortem intelligat, nihil hîc eum præter inanissimas nugas dicere. Nam nec divina miracula in ea fieri, nec porrò eam miraculis primævæ ecclesiæ parem esse probabit unquam: nec veram Apostolicamque ecclesiam eam esse, jure dici posse, ulla ratione demonstrabit: nec ad istos illa Christi promissio, de majoribus miraculis faciendis, quicquam pertinet: cùm nec sese Christi fideles esse probare possint: nec si essent, necessariò apud ipsos complenda fuerint: quandoquidem nec istud omni tempore futurum Christus prædixit, nec nisi ad

si ad Apostolis eorumque socios, qui in primæva illa ecclesia vixêre, eadem promissio referri potest, ut res ipsa docet.

Quod verò ait: *Qua ratione Christus adversus Iudæos probavit sua miracula Digito Dei, non virtute principis dæmoniorum fieri: eadem prorsus ratione se suosque miracula sua comprobare posse. Nam & Dei, non dæmouis invocato nomine efficiuntur*, inquit: *a nobis & eorum virtute dæmones ipsi expelluntur, ac omnis eorum potestas labefactatur: denique ea præstantur, quæ omnem dæmonum & naturæ potestatem superant, ut est mortuorum ad vitam revocatio, cæcorum illuminatio & similia, quæ si calumniari libeat, omnia Apostolorum & Christi ipsius miracula, eidem calumniæ subiacebunt.* Hîc primò animadvertendum est, Smiglecium præsupponere, id quod est in controversia, ne dicam manifestò falsum, nimirum se suosque, non minùs quàm Christus olim Apostoliq; miracula divina edere. Quod quidem prius probandum erat, quàm id sese Dei nomine facere assereret. Deinde mirari licet summã hodiernorum Romanensium impudentiam, qui sese mortuos excitare, diabolos expellere, cæcos illuminare asserunt. Quis enim eos tanta patrare, vel vidit vel credidit unquam? Quid enim, an non multi nostrûm Romanensis ecclesiæ membra anteà fuerunt, iique nequaquaquam vulgariter in ipsius dogmatis versati? qui certè si talia apud illos vel facta fuissent, vel fierent miracula, id ignorare non possent. Fraudes quidem, quibus talia, conficta sæpè fuerint, nobis narrant, & eam ipsam ob causam sese illam ecclesiam deseruisse asserunt: Revera autem miraculum aliquod in ea fieri pernegant.

Sed esto: fiant apud Romanenses miracula, num protinus consequens fuerit, ea vera divinaque esse. Nequaquam. cùm ut ostendimus, & falsos Christos prophetasque & hominem illum peccati, miracula facturum fuisse, ex divinis literis constet, & miracula ex doctrina ponderanda esse doceamur.

Hîc primò dicit Smiglecius *sese Dei non dæmonis nomine invocato miracula facere.* quasi verò Dei nomen fallaciis istis prætendi nequeat, Diabolusque tàm stolidus sit, ut dum homines per ministros suos, in fraudem impellere studet, non potiùs se in angelum lucis transformet, quàm apertè, in nomine suo miracula fieri ostendat: aliter enim neminem falleret. Deinde cùm miracula ex doctrina ponderanda esse dicimus, respondet Smiglecius, *hanc regulam verissimam esse: sed nihil planè ad Arianos pertinere: sed ad eos duntaxat, quorum doctrina, non ex proprii cerebri fontibus hausta: sed divinitùs accepta, vel divino testimonio*

monio

monio aliquo semel confirmata est. Hîc Smiglecius longè fallitur, cùm inter omnes sectas constet, doctrinam scripturis sanctis comprehensam, esse verissimam. Quæ cùm ad omnes pertineat, consequens est, omnes ex ea, miracula, si quæ fiunt, ponderare jure posse, sive Ariani, Evangelici Lutherani vé aut alii sint, omnibus enim spiritus omniaque dogmata probanda, & quæ recta veraque sunt, retinenda esse docemur. Quæ porrò in Arianos dicit, eos nimirum proprium judicium sequi: Item, quæ de traditione ab Apostolis sibi tradita loquitur, ea falsissima esse, suprà satis a nobis demonstratum est.

Pergit autem aitque: *Cum verò Volkelius, ut dæmonum potestatem extollat, eos non falsa, sed vera miracula facere posse tuetur, an non manifestè se dæmonum ministrum & advocatum ostendit? Si enim vera miracula, naturæ omnem potestatem superant: Solus verò Deus id præstare potest, quod omnem naturæ vim excedit: an non consequens est, dæmones vera miracula patrare non posse?* Quid verò, Smiglecì, calumniari est, si hoc non est? Hoccine est Iesuitam, seu Iesu veracis & mentiri nescii socium esse? Vbi enim & quando ego dixi, Diabolum non falsa, sed vera miracula facere? Ostende paginam, versiculum, profer verba. Quod si hunc sensum illis meis verbis contineri asserit: Quid, quòd non ita facilè omnibus apparet, diabolica miracula falsa esse; quis non videt, aliud esse, dicere, diabolica miracula, non falsa, sed vera esse, aliud verò, non facilè omnibus apparere, diabolica miracula falsa esse? cum hîc ea falsa esse a me dicatur, illic verò mihi contrarium a Smiglecio affingatur. Equidem si par pari referre mihi propositum esset, dicerē, ex ista tam crassa Smiglecii calumnia patere, non Volkelium diaboli ministrum: sed Smiglecium diaboli filium esse: quippè quem Christus mendacii patrem nominet. Vnde colligitur, omnia, quæ posteà in fallaci isto fundamento suo superstruit, consistere non posse, nimirum cum me dicere fingit: *Deum cum diabolo vim miracula faciendi communicare: cum diabolo errorem & deceptionem cooperari:* Item: *me meum istum errorem Pauli verbis tueri velle, quibus Deum missurum operationem seu efficaciam erroris asserit.* Hæc omnia utpotè falsissima, & a me nunquam ne per somnium quidem cogitata, sibi Smiglecius servet: Lector autem benignus, quæ ego in nodi dissolutione dixeram, quæque hîc Smiglecius, per summam calumniam, me dicentem facit, sedulò perpendat, & comperiet, illos non veritatis, sed calumniarum doctores esse, ut in libri nostri vestibulo diximus, & tùm hîc tùm per totum ferè scriptum nostrum demonstravimus.

„ „ Ioh: 8. 44.

Ad extremum repetit Smiglecius quædam de Dei providentia in suo nodo a se dicta, quâ fiat, ut fideles fictis miraculis non decipiantur: verùm cùm in dissolutione ejusdem nodi ea responderimus, quibus quid opponeret Smiglecius, sese non habuisse, ipso silentio indicat, nos tandem scriptioni huic nostræ finem imponemus, si priùs hæc ultima Smiglecii verba consideraverimus. *Hinc* inquit, *perspicuum est, quantum hæc ultima demonstratio adversarios urgeat, quamque nullius planè momenti sint, quæ tùm contra illam, tùm contrà alias novem ab iis in medium adducta sunt.* Ridiculus sanè est Smiglecius, qui suis nugis tantum tribuit, ut nos iis, si diis placet, urgeri asserat: quasi verò ex nostris responsionibus minimè constet, non demonstrationes, sed partim inania Sophismata, partim ratiunculas manifestò falsas, partim plurima, quæ ad rem nihil faciunt, partim calumnias conviciaque tantoles uita indigna, partim tùm scripturæ, tùm nostrorum verborum depravationes, nobis ab eo opponi: Quæ omnia quantopere hominem cordatum, si diis placet, urgere possint, non facilè dixerim. Facilè tamen quilibet nostra legens, intelliget, ista omnia a nobis detecta, explosa conculcataque esse: & sic nihil aliud Smiglecium effecisse, quàm ut ipsius artes stratagemataque, & sic Antichristianæ fraudes omnibus paterent, ipseque videret, non cum eo hominum genere sibi rem esse, quod illius technas perspicere in apertumq; proferre nequeat: sed cum illis, qui quantum in Romanensium fide religioneque ponendum sit, ante omnium oculos constituere possint.

Postremò, ut Smiglecius sese sui perquam similem esse testatum relinquat, quemadmodum in prima mediaque scriptionis suæ parte, perpetuò aliis suis dictis convicia calumniasque admiscuit: Ita tandem in extrema facit, lectorem hunc in modum alloquens: *Habes, candide lector, meum ad obiecta Volkelii responsum, ex quo & catholicæ veritatis firmitatem, & hæreticorum inanes in ea oppugnanda machinationes intelliges: quæ enim ab iis afferuntur, dicuntur, scribuntur, non divina oracula sunt: sed proprii capitis commenta: tela eorum aranearum telæ, fraudes dolique, quibus ita plerumque scripta sua onerant, ut numerus eorum facilè iniri non possit.* hæc Smiglecius. Quæ omnia in ipsum retorqueri posse, nosque nec ullas fraudes machinas dolosque struere, sed id unicè agere, ut istorum commentis repulsis, veritatem in apertum proferamus, benignus lector, ex tota hac nostra responsione, facilè intelliget. Quod autem id, quod nobis objicit, ex disputatione cum Plessæo habita, perspicuum esse ait, longè fallitur, tùm quia Plessæi hostium

testi-

testimonio id comprobare nititur, nimirum Frontonis Ducæi, & Episcopi Ebroicensis (epistola namque Galliæ Regis nihil tale continet, quamvis suspicione non careat) tùm, quòd si maximè vera omnia essent, quæ in virum istum dicuntur, nequaquam tamen ex eo consequeretur, nos, quibus cum Smiglecio hîc res est, eâdem culpâ teneri.

Tandem in Volkelium hoc pacto invehitur: *Miror verò Volkelium, quod tantum verbi ministrum tot falsificationibus illustrem se non satis noße fateatur. tuum erit, optime lector, hæc non ignorare, ex eoque decernere, quantum hæreticorum scriptis fidendum sit.* Quinimò Volkelius satis mirari non potest, Smiglecium, tantæ existimationis Iesuitam, id per summam impudentiam Volkelio affingere, quod nunquam dixit, nimirum eum fateri, Plessæum sibi non satis notum esse. Verùm quid sese tandem mirari dicit, cùm totus ferè Smiglecii liber, ex meris calumniis compositus sit, ideoque nihil novi hîc ei accidat.

Tuarum partium est benigne lector, omnia quæ Smiglecii Sophismatis respondimus, diligenti animadversione perpendere, ex iisque colligere, quantum Iesuitarum scriptis fidei tribuendum sit.

Benè ac feliciter Vale.

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ,

quæ vel in totum explicata, vel ex aliqua sui parte illustrata, in hoc libro reperiuntur.

Cap:	vers:	pag:
	Ierem:	
23	21	23 & seq:
	Ezech:	
5	5	42 & seq:
	Matth:	
10.	2.	187.
16	17	189 & seqq:
	18	76. 90, 91. 186 & seqq:
26	21	183.
	34	183.
28	20	91 & seq:
	Lucæ.	
9	16	49.
	20	190.
22	19,20	159 & seqq:
	Ioan:	
5	43	26.
8	47	59.
10	1	25.
	8	25.
14	16	92.
20	23	125.
	31	200.
	Actor:	
5	3,4,5,9,10.	37.
9	10.	84 & seq.
13	48.	60.
20	28.	9 & seqq:
22	12.	84 & seq:

Cap:	vers:	pag:
	Romanor:	
8	34	158
10	12	11
	15	19 & seqq:
	1 Corinth:	
4	1	171
5	4, 5.	37.
10	16	46.
	21	161 & seq:
11	24,25. 16. 41.	& seqq: 160, 161. 167. & seq: 177.
12	2	13.
	28	34.
14	34	63.
15	50	137.
	Epheſ:	
4	10,11.	86.
	11	12.
	13	12.
	14	13.
5	2	143.
	32	167.
	1. Timoth:	
1	20	37.
2	12	63.
	Hebræ:	
5	4	16 & seqq:
	11	148.
7	3	151 & seq:
	6	153 & seq:

Cap:

Cap:	vers:	pag:
	12	156.
	27	142.
9	24	158.
	25	143 & seq:
10	5	157.
13	10	163.
	13	164.
	17	35.

Cap:	vers:	pag:
	2 Petr:	
1	20,21.	104.
	1 Ioan:	
1	7	138.
2	1	158.

Errata quædam graviora æquus lector sic corriget.

Pag:	linea.	Correctio.
6	10	ducamus.
8	30	ipsiusque *dele* que.
16	4	his.
19	20	Apostolorumvé
24	10	quòd.
30	37	quod.
33	31	uti.
36	18	doctrinas.
	21	insigniantur.
37	33	hodiernos ministros.
51	24	splendore *lege* sole.
54	11	à *adde*.
64	23	doceat.
69	24	plebe
70	5	auctoritate *adde*.
77	6	scripturæq; *dele* que.
	22	hominibus.
	29	partim *lege* sparsim.
83	*ult:*	quas.
90	*in marg:*	Ioan: 14.
127	27	ita.
155	27	sacrificii.
157	6	adaptâsse.
163	19	altari.
170	21	mysteriorum.
172	30	manuum.
183	34	*pro* ? *pone punctũ simplex*;
186	24	cap: 19.
199	12	necessaria in
206	7	duarumq; *dele* que.
223	24	facere.
224	1	Apostolos.





9.5480